DISQUISITIO

DE

L. AELIO STILONE,

CICERONIS IN RHETORICIS MAGISTRO,

RHETORICORUM AD HERENNIUM,

UT VIDETUR, AUCTORE.

probat Gelder fr. Tragic. p. 837

INSERTA SUNT

AELII STILONIS ET SERVII CLAUDII

FRAGMENTA.

SCRIPSIT

J. A. C. VAN HEUSDE,

PHIL. TH. MAG. LITT. HUM. DOCT.

TRAJECTI AD RHENUM,
APUD ROBERT. NATAN,
BIBLIOPOL. ACADEMIC.
1839.

ROVERSIO,

VIRO CLARISSIMO, CONSOBRINO DILECTISSIMO

S. P. D.

J. A. C. VAN HEUSDE.

Seram miraberis, optime Roversi, hujus libri editionem, quam ut maturarem, amice me saepius alacriterque more tuo hortatus es. Obsequi tamen hortanti tibi verecundabar, sollicitus ne quid improvisi nec satis tentati exploratique emitterem. Itaque, quo judicii severitatem minus timerem, indulgebam emendandi et expoliendi consilio, cunctando potius rem, ut ille, restituere, quam festinando perdere cupiens. Praeterea vero, quoniam hoc tu mihi petenti concesseras, ut quam tuo judicio operam subjecissem, eandem nomine tuo commendatam ederem, faciendum mihi putavi, ut aliquanto ornatior spectatiorque futuri patroni gratiam sibi conciliaret. Quamobrem longiorem, quae scriptionem libri inter et editionem intercessit, moram cum consilium tum amicitia interposuerunt; eam autem ut aequi bonique consulas, optatissimum mihi est.

Sed instituti mei, si vacat ac libet, originem et rationem paucis accipe. Ciceroni nostro postquam ante hoc biennium jucundissimam operam navaveram, discessi ab ejus lectione, tanquam postea ad eandem majore cum voluptate, quippe ad insignius doctrinae emolumentum, rediturus. Interea monuit me Bährius, V. Cl., quum alia in scriptione mea de Cicerone φιλοπλάτωνι probasset, nondum sibi de Gniphone operis Herenniani auctore, in quo vindicando Schutzio essem assensus, persuasum esse. Qua ego admonitione excitatus, saepius rem consideravi, donec erroris mihi conscio, et in aliam subito sententiam verso, Aelii Stilonis Praeconini in mentem veniret. Hic et temporum illorum aequalis ferebatur et a doctrinae modo, quem referebat Herennianum opus, non valde, utpote Grammaticus ac Rhetor, diversus esse poterat: alia quoque, utrique communia, majorem evidentiam fidemque faciebant. Sic plaudebam mihi tanquam εὐημερήσαντι, et acu rem tetigisse videbar; quippe cum eo, quem mihi verum operis auctorem finxeram, constabat Ciceroni aliquod studiorum consortium fuisse, quod ipsum ad explanandas ceteras difficultates unum maxime valere mihi persuadebam. Itaque non erat quod vererer, ne commentitii quid somniassem, inventisque meis citius, quam potitus essem, exturbarer.

Ὦ δυστάλαντα τῆς ἐμῆς αὐθαδίας!

Hic vero, Roversi, continuit me veterum sapientia, officiique praeclare admonuit. Imprimis enim, quem magnopere admirabar excellentis operis auctorem, Quintilia-

nus me advertebat, prudenti exordio professus: *Dabam otium, ut refrigerato inventionis amore, diligentius repetitos libros tanquam lector perpenderem.* Laudabam viri consilium, moremque gessi optima pulcerrime praecipienti. Nec facile me facti poenituit. Nam coepi diffidere, pensitare, dubitare, mirari omnino, tam imprudenter me paulo ante tamque confidenter existimasse. Quo fiebat, ut quum non amplius facilis mei operis laudator sed tanquam alieni acerbus judex exstitissem, in multa vitia inciderem, quae fugerant festinantius conficientem. Post literis ad *Geelium,* V. Cl., datis, hoc ab humanissimo viro flagitavi, ut sub ingenii acumen lucubrationem meam vocaret. Quamvis aliis districtus negotiis, otium mihi suum largitus est, probatisque aliis, alia correxit, multa accuratius reddidit investiganda; universe gratissimam mihi operam utilissimamque praestitit, quam non minus gratus agnosco, quam Cl. *Goudoeveri* in eadem quaestione judicanda praeclare de me meriti sagacitatem et benivolentiam.

Nec vero tu quievisti, a quo simillimum amicitiae documentum impetravi. Quamquam nec facilem te habui judicem, nec temere assentientem. Adeo enim prudenti tua disputatione argumentorum, quibus beatus eram, tentasti fidem et probabilitatem, ut propemodum causâ me cecidisse redeundumque mihi ad pristinam consilii inopiam existimarem. Non tamen istuc tua spectabant. Volebas attentum reddere et secundis curis religiosius singula

pertractantem videre. Quin ita auctoritatem judicii tui singulari humanitate condiebas, ut, si una essemus, mutuisque sermonibus in rem ipsam inquirere liceret, animadversiones tuas non nimis urgendas videri, persuadere conarere. Quibus verbis quum animos dedisses, diligentiusque, quae animadvertisses, attendissem, tanto te habui cariorem, quanto candidius mentem mihi tuam significaveras, et omnem dubitationum vim objeceras.

Plura autem complexus sum hoc libro, qui ex pristina munusculi in praesentem doni formam — utinam praestantiam — increvit. Operae enim pretium erat, aliquid momenti addere, quo tutius iter faceret tibique, transmarino homini et in ultima fere agri Batavi statione collocato, novi suisque velut partibus expleti operis adspectus nostri memoriam commendaret. Quam ob causam in media te continuo arma sententiarumque turbam et acrem contentionem conjeci, ex quo tanquam horridulo mari celeriter emergentem mansuetiores te Musae excipient. Tradidi quippe nonnulla de Grammaticis Rhetoricisque studiis apud Romanos, ut proximae de Aelii Lanuvini et Servii Claudii vita et doctrina disquisitioni, quae nimiis est opaca tenebris, aliquid lucis affunderetur suumque duumviris pretium esset. Hac demum via ad rei caput, quod suavissimi literarum commercii primam nobis opportunitatem praebuerat, processi.

At male sit mihi, et otio tuo abutenti diutius et plus quam satis erat, de propriis rebus ad te referenti. Quam-

quam, vere ut dicam, non tam propriae quam communes videbantur, ad literarum videlicet et ad humanitatis studia, quae tu alacriter profiteris, ego vero assidue et cum voluptate colo, pertinentes. Agebatur de re, quae omnium quidem, quibus antiquitas cara est, interest, nostra tamen propterea magis, quo conjunctior cum Ciceronis scriptis disceptatio videbatur. Etenim, quocunque loco libri illi Herennio inscripti eruditis et habiti sunt et habendi, non negabitur certe, plus habituros momenti, si constet ab eo conditos, quem rhetoricae artis magistrum Cicero habuit. Itaque et culpa apud te vacare me intelligo et vero lubenter ipse impensi laboris reminiscor, quoniam invitabat denuo ad legendum Ciceronem. Hunc autem in sinu foveo, in hoc assiduum me esse cupio, hunc peregrinationis, rusticationis, vitae denique socium expeto. Quodque singulis singulari et cujusque naturae consentaneo modo Seneca suasit, id mihi de Cicerone valebit. *Certis,* ait, *ingeniis immorari et innutriri oportet, si velis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat. Nusquam est qui ubique est. In peregrinatione agentibus hoc evenit, ut multa hospitia habeant, nullas amicitias. Idem accidat necesse est iis, qui nullius se ingenio familiariter applicant, sed omnia cursim et properantes transmittunt.*

Erimus igitur *οὐ τῶν ἐμούντων, ἀλλὰ τῶν ἀκριβούντων, οὐδὲ τῶν ἐπιδημούντων, ἀλλὰ τῶν ἐνοικούντων καὶ ἐμφυτευθέντων.* Hic autem praestantissimus erit perceptae disciplinae fructus, non ut cum multis confundi nos patiamur, qui scire ve-

lint, sed ut cum paucis excipi curemus, qui sciant velle. Hac lege ex communibus studiis illam veram delibabimus humanitatem, quam ut pariant sui studiosis, ipsae literae coli et tractari assolent. Haec quum cogito ac mente mihi informo, praeterita recordor. Nam ad hoc literarum stadium, quod nobis e plurimis vitae humanae curriculis solum, ipsius amore ducti et imbuti, expetivimus, memini me a te adolescentulum institui et excitari, quum nos urbis Trajectinae moenia continerent, senior autem me juniorem exemplo adverteres, verbis incenderes, consilio disciplinaque adjuvares. Haec tu, quae tua modestia, negare soles, certe leviora ducere, quae tamen gravissima mihi fuerunt et acceptissima:

Μὴ δῆτα, θυμέ, μὴ σύ τῶνδε γ' ἐκπέσῃ,
Ἐξ ὧν τὰ κεδνὰ βλαστάνει βουλεύματα.

Maluisti igitur, intactis illis, quae gratus animus efferre juberet, in eo me versari, ut amicitiam nostram, studiorum similitudine animorumque conjunctione partam, tum vero excellentissimae disciplinae communionem acciperent quam plurimi. Age vero, hanc omni deinceps tempore recordemur, illosque sermones, quos diversis temporibus ex ejusdem viri ore percepimus, quorumque audiendorum, Plato ait, *μέτρον ὅλος ὁ βίος νοῦν ἔχουσιν*, custodiamus ac curemus; amicitiam autem nostram colendis bonis artibus communicandisque sensibus ac cogitationibus confirmemus perpetuo et stabiliamus. Vale.

Scripsi Trajecti ad Rh. m. Sept. MDCCCXXXVIII.

DISQUISITIONIS CONSPECTUS.



E variis scriptis, quae ex antiquitate servata aetatem tulerunt, nullum facile est, quod a renatis inde literis cum in Italia, tum in Germania tantopere doctissimorum virorum ingenia adverterit atque exercuerit, quantopere Rhetorici libri ad Herennium scripti. Incredibile fuit eorum studium, qui varia aetate de incerto illius operis auctore commentati sunt. Discesserunt a se invicem et a semetipsis subinde dissenserunt, qui primi in controversiam rem adhuc indubitatam adducerent. Nihil quidquam videbatur gravius, quam posse proferre, quod ad superiorum diligentiam adderetur, sive id ad confirmandam receptam fidem valeret, sive ad impugnandam. Plerique partium studio incendebantur, ut aliquid vel dubii moverent, vel certi contenderent: paucos judicii aequitas a temeritate alienos et ad prudentem disquisitionem compositos habuit. Fiebat ita, ut plus certaminis honos, quam veri causa valeret, ut plus moveretur, quam promoveretur; denique ut, postquam plurimis maximeque prolixis disputationibus controversia penitus profligata videretur, qui tandem succederent judicaturi, suspenso judicio haererent.

Sed hujus gravissimae contentionis, quae magis adversariorum, quam vera quaerentium fuit, neque ullam criticae diligentiae laudem habuit, qualem causam fuisse dicamus? Non profecto latet in operis Herenniani excellentia. Manutius quidem libros *elegantissimos* et *doctissimos* appellat [1]), Ernestus autem graviter aetatem suam queritur, usum illorum turpiter negligentem [2]); verum tamen a ceteris vix tantam laudis praedicationem nacti sunt, ut comparandi cum Ciceronis rhetoricis libris viderentur. Neque etiam in succincta ac concisa praeceptorum expositione, aut in ipsius praeceptionis novitate, utilitate similive commendationis laude quaerenda est; nemini enim, si a medii aevi ingeniolis, pulchriora fastidientibus, discedas [3]), sic placuerunt libri, ut quisquam admiratione commotus, eorum patrocinium putetur suscepisse. Multo magis eam ob causam triti tot manibus, tot subjecti judiciis, tantarum dissensionum ac discordiarum auctores fuisse videntur, quoniam titulo ac specie Ciceronis familiam male credulis imperitisque hominibus men-

---

[1]) Praef. Comment. in hos libros. Venet. 1583. Cf. Oudendorp. Praef. Notar. ad h. auctorem.

[2]) Praef. Edit. p. 6. *In iis,* inquit p. 5, *tota ars rhetorica ad usus discentium breviter et subtiliter descripta est, suntque praeterea ad docendum quidem et ad artem universam cognoscendam, ceteris accommodatiores.* Cf. Wetzel Cic. Rhett. Minn. Vol. I. p. 16. 17.

[3]) Magnum horum librorum medio aevo usum ac celebritatem fuisse, testatur tum immensa exemplorum manuscriptorum copia, tum inficeta interpolatio. Qua de re Nic. Aug. Bucinensis Comm. in Cic. de arte rhet. libr. Basil. 1541: *Librariorum quidem depravatione et temporum vitio Cicero in hisce Rhetoricorum ad Herennium libris a se ipso hactenus per mendas ita sensim abiit in deformitatem, vix jam ut suorum plerisque agnoscatur.* De interpolatione vid. Wetzel Cic. Rhett. Minn. I. p. 3. qui Schutzium plura resecantem notat.

tiebantur. Celebratissimum autem Ciceronis nomen, quis nescit quam sancte ac superstitiose illa renascentium literarum aetate coleretur, ut inauditum atque inexpiabile scelus existimaretur committere, quicunque vel in ejus verba jurare nollet, vel audacia tanta exsisteret, ut submovere quidquam familia ejus impune sibi licere arbitraretur [1]). Ex hac opinione, quae sponte invaluerat in animis hominum, literatos illud odium infecit, quod clarissimos viros, Laurentium Vallam et Poggium, Scaligerum et Erasmum in magnas et immanes inimicitias pertraxit.

CAPUT I.

Virorum doctorum variis temporibus de incerto auctore sententiae.

Quum antiquitus nemo praeter *Quintilianum* ullam, et hic quidem admodum dubiam Rhetoricorum ad Herennium mentionem fecerit [2]), ex iis autem, qui post floruere, grammaticis, nullus Ciceroni opus abjudicaverit [3]), accedimus continuo ad recentiora tempora. Ac renatis quidem in Italia bonarum artium studiis, antiquitus propagatum de Cicerone auctore errorem a multis accipimus proba-

---

[1]) Walch, Hist. Crit. L. L. p. 727 sqq.; Bähr, Gesch. der Röm. Lit. p. 368.

[2]) Cf. Spalding ad Inst. Or. III. 1, IX. 3.

[3]) Ciceronem auctorem laudant Hieronymus, Priscianus, Rufinus, Fortunatianus, Servatus Lupus. Ceteri Rhetorica ad Herennium non videntur respexisse. Vid. Burmanni censura opinn. de auct. Her. ap. Schutz pag. 6. sqq. Causa, cur Prisciani jam aetate Ciceronis opus haberetur, manifesta est. Nam praeter magnam locorum similitudinem, quae illis libris cum Rhetoricis de Inventione intercedit, Tullii, Terentiae et Tusculani mentio vix ullum dubitationi locum faciebat.

tum. Nunquam in controversiam auctoritas illa venerat; quare de ea, tanquam vetustate confirmata, cur sollicite quaereretur, nulla causa videbatur. Fuerunt in iis *Leonardus Aretinus* [1], *Georgius Trapezuntius* [2], *Laurentius Valla* [3], *Angelus Politianus* [4]. *Poggius* item opus vindicat Ciceroni: quamquam quae laudat verba ex quarto libro ad Herennium, in secundo Rhetoricorum de Inventione reperiuntur, quae vero e secundo ad Herennium, optime congruunt [5]. Hic errorne sit Poggii, an illo usus sit codice, qui duos de Inventione libros prioribus ac posterioribus ad Herennium interjectos haberet, non licet affirmare, quandoquidem saepius eos memorare non solet [6]. Primus autem, quem constat novas res moliri aggressum, et in se studia hominum commovisse, fuit *Raphael Regius*, reliquorum omnium, quotquot novas identidem de vero auctore dubitationes afferrent, princeps. Hic in commentario, quo Quintiliani Institutiones illustravit [7], dubitare coepit de Herenniani operis auctoritate, et, quoniam Quintilianum nusquam disertis verbis Ciceroni tribuentem cognoverat, Ciceroni abjudicavit.

---

1) Cic. nov. c. 56.
2) Rhetor. l. I.
3) Elegant.
4) Miscell. c. 62.
5) Invect. I. in Vallam. Opp. 1513, p. 72. 73. 91. Ad quem Poggii locum respiciens Valla Lucub. p. 97 crimini ei vertit, quod sex faciat libros ad Herennium, cum quatuor sint.
6) Memorat Burmannus Cens. l. p. 31 Codices, quibus in sex libros hoc opus divisum exstet; unde probabile est, Poggium ita distributum opus cognovisse, ut ex ipsius verbis conjecimus. Ceterum libri de Inventione vulgo *ars* s. *Rhetorica vetus*, libri ad Her. *nova* vocati sunt. Cf. Westermann, Röm. Beredts. §. 65. 5. 6.
7) Edit. Burm. ad l. I. 4, II. 14., III. 5. 6. 9., IV. 1. 5., V. 10.

Idem in alia disputatione [1]) peculiariter et erudite ea de re disseruit, argumentisque collatis, quae sententiam suam adjuvarent, de vero auctore multo studio quaesivit. Sed eum varia argumentatio ad varias conjecturas opinandique levitatem adduxit, ut tandem plane nihil vel de auctore vel de aetate librorum apud ipsum constaret. Namque ademtos Ciceroni libros modo Virginio Rufo, modo Cornificio, modo Timolao, Zenobiae filio, prodidit.

Haec fluctuans viri ratio licet ipsa nihil commodi haberet, tamen effecit, ut ad eam rem accuratius considerandam multi studia converterent. Sublato quasi signo duae eruditorum familiae exstiterunt, quarum altera in defendenda Ciceronis auctoritate, altera in oppugnanda vires ingenii acerrima contentione periclitabatur. Vixdum illa Regii audacia in Veneta civitate percrebuerat, cum ejus institutum, summa usus conviciorum licentia, exsibilaret *Marinus Becichemus Scodrensis*. Publice is orationem habuit, qua tantum non diris devovit, qui tanta exsultasset arrogantia, ut sacrilegas manus Tullianis reliquiis injecisset. Longam et acerbam disputationem, quae superest [2]), et Ciceronis vindicibus tanquam fundamentum singularium disquisitionum fuit, operae pretium est legere, ut commotio animorum quanta esset eo tempore, quo rem tam ancipitem ausus erat Regius, perspiciatur. In Becichemi autem partes multi deinde discesserunt, *Franc. Maturantius* et *Anton. Mancinellus* [3]),

---

[1]) *Utrum ars Rhet. ad Her. Ciceroni falso inscribatur.* Venet. 1492. Scripsit etiam *Problemata* in Quint. Inst. Venet. 1491, in quibus Timolai ad Herennianum mentionem fecit. Cf. Burm. Cens. p. 13. sqq., Westermann l. l.

[2]) Collect. Commentt. in Cic. de arte Rhet. libros. Exstat pariter in Epist. Quaestt. c. 39. Cf. Burman. l. l. p. 13.

[3]) In Rhetoricis ad Herenn. Lugd. 1513.

Georg. Valla [1]), *Hier. Capidurus, Longolius, Pontanus* [2]), *Nic. Angelius Bucinensis* [3]), *Jo. Caesarius* [4]), *Udalricus Zasius* [5]), *Mich. Toxita* [6]), *Kirchmaierus* [7]) et *Ludovicus* [8]). Horum plerique singularibus commentationibus Ciceronis famae opitulari studuerunt, ac praeter speciosa argumenta, quibus usus erat Becichemus, nonnullas alias non certe majoris momenti rationes attulerunt.

Sic illi, qui repugnabant Regio. Alterum genus fuit eorum, qui, spreto communi errore, Regii exemplum imitarentur, atque in germano auctore investigando studium ponerent. Tulit multorum suffragia, quem Regius jam auctorem suspicatus erat, Cornificius. In eo, non sine veri specie, consenserunt *Angelus Decembrius* [9]), *Tur-*

---

1) Comment. in Cic. Partit. Orat.
2) Commentt. in libb. ad Her. in Collect. I.
3) In Collect. I.
4) Comp. Rhet. Argentor. 1534. Vulgo Ciceronem auctorem agnoscit, addit tamen alicubi: *aut si quis alius ejus operis auctor fuit.*
5) Opera t. V. p. 127. Satis ridicule: *Quidam,* ait, *ut Raphael Regius, negant esse Ciceronis, sed cujusdam Cornificii: moti, quod Quintilianus horum librorum non meminerit, sed non in eo facienda vis. Vetustas enim usurpavit eos pro Ciceronis libris, cui Trapezuntius quoque subscribit; proinde nos cum communi opinione sentimus. Sic Quintilianus non controvertit, an libri, qui inscribuntur Theodecti, ejus sint an non sint l. II.* 14. *Unde parum retulerit, sive Cornificius, sive Cicero scripserit, dummodo libri sint elegantes.*
6) Comm. ad libr. Rhet. ad Her. Basil. 1568.
7) Fabr. Bibl. Lat. I. p. 96.
8) J. P. Ludwig, *Diss. de Cic. Rhet. ad Herenn. auctore vindicato.* Witteb. 1691. Exstat item in ejus Oper. Oratt. Cff. Bähr l. l. p 372., Westermann l. l. p. 190.
9) De Polit. Liter. l. I. c. 10. Cf. Burmann. l. l. p. 28 sqq.

nebus [1]), *Majoragius* [2]), *Sigonius* [3]), *Muretus* [4]), *Sinibaldus Antoninus* [5]), *Riccobonus* [6]), *Gruterus* [7]), *Cresollius* [8]), *Graevius* [9]), *Schurzfleisch* [10]), *Funccius* [11]). Hi tamen omnes, Cornificium laudantes, vel unum antiquitus hujus nominis exstitisse arbitrati sunt, vel, secus putantes, quem intelligerent, non prodiderunt. Fuerunt autem duo, distinguentibus Gyraldo [12]) et Vossio [13]). Vossius Cornificio juniori libros ad Herennium tribuendos censuit; sed admodum haesitanter, si quidem initas a viris doctissimis rationes non omni dubio majores existimans, exemplo Nascimbaenii Tullium Tironem auctorem esse voluit [14]). *Nascimbaenius* autem incertus haeserat: cujus verba ad exemplum ambigui, quod habetur de Invent. II. 40., haec sunt: *Hinc quidam multae etiam eruditionis homines stulte conjecturam ducunt, libros ad Herennium esse Ciceronis: propterea quia eodem fere exemplo, perpaucis tantum additis, auctor ipse utitur, cum non videant eum, quisquis ille fuerit, in dandis rhetoricae praeceptis Ciceronem imitari vo-*

---

1) Advers. l. V. 27. et Notis ad Quint. Inst. III. 1., IX. 2.
2) Vossius, De Nat. et Const. Rhet. c. 13.
3) Vid. J. Marii Mattii Defens. Adnot. sec.
4) Comm. in Catull. Opp. Vol. II. p. 789.
5) *Dialog. de Rhett. ad Herenn.* in Manuc. Comm. in Cic. de Rhet. libros Venet. 1583.
6) Diss. adv. M. Mattium.
7) Rhett. ad Her. IV. 56.
8) Vacat. Autum. l. III. p. 687.
9) Init. Nott. ad Rhet ad Her.
10) Diss. *de auctoritate Rhett. ad Her.* Witteb. 1703.
11) De Vir. Aet. L. L. p. 329.
12) Hist. Poett. Dial. IV. p. 215.
13) De Nat. et Const. Rhetor. c. 13. Cf. Schutz Prooem. in libb. ad Her. p. 55., Bähr Op. l. p. 372.
14) Vossius l. l. Burman. l. l. p. 37. 43.

luisse. Crediderim autem ego, aut Ciceronis filium, aut ejus libertum Lauream, qui et Cicero dictus est, eorum librorum auctorem fuisse. Qui cum animadvertisset, Ciceronem de Inventione tantum perscripsisse, ut ipse rhetorices praecepta scribendo absolveret, de omnibus partibus sibi scribendum putavit [1]. Porro *Aldus Pius Manutius* dubitanter [2], confidenter vero, eum secutus, *J. Caesar Scaliger* [3] Gallionem rhetorem auctorem ad Herennium habuit, cujus nomen exoletis fere literis titulus antiquissimi horum Rhetoricorum exempli in Bibliotheca Palatina indicare videbatur. Sed hoc quanti sit habendum, prorsus incertum est, quum ignoretur, quis primus titulum inspexerit, atque fieri possit, ut fraus fuerit inventoris. Virginium autem Rufum, cujus mentionem Regius jam fecerat, *Antoninus Pinus* auctorem probat [4], putatque eum esse, qui ad Herennium Senecionem scripsit. Ejusdem sententiae particeps traditur *Christ. Proposto Irico* [5]. Ex *Floridi Sabini* disputa-

---

[1] Comm. ad Cic. de Inv.

[2] Epist. ad Naugerium in Comm. ad Cic. de Rhet. libb. Venet. 1583.

[3] Orat. pro Cic. contra Erasmum et de Re Poet. III. 31. passim. Cf. Burman. l. l. p. 39.

[4] Nott. ad Quint. Inst. III. 6. Burm.

[5] Tiraboschi. Stor. d. Letter. t. II. p. 247: *Nella Biblioteca degli Scrittori Milanesi dell' Argelati art.* *Virginius*, *leggesi una erudita lettera del Ch. Proposto Irico, in cui si sforza di dimostrare, che il Virginio rammentato da Quintiliano è il celebre Virginio Rufo, che dopo aver più volte ricusato l'Impero, morì pieno di gloria e di meriti verso la Repubblica regnando Nerva, e ch' egli è l'Autore de' libri ad Erennio attribuiti a Cicerone. Ma egli è certo, che il Virginio, di cui Quintiliano ragiona, era già morto, quando egli scriveva, ed è innegabile, che Quintiliano scrisse sotto*

tione [1]) patet, fuisse etiam, qui Cornelium Celsum auctorem conjicerent; quam conjecturam repudians ipse Sabinus, inter Gallionem et Cornificium ita fluctuat, ut tertium quendam simili probabilitate commendari posse, non audeat negare.

Atque hi quidem doctorum virorum labores, in eruditissimos plerique commentarios relati, optato eventu caruerunt. Plurimis enim aequalium industria et studium non satisfecit; qui, quum e maxima sententiarum varietate et ingenti doctrinae apparatu certi quid confici posse desperarent, controversiam de incerto doctore Herenniano nondum probabiliter solutam pronunciarunt. Ex his digni sunt, qui memorentur, *Mosellanus* [2]), *Ascensius* [3]), *Victorius* [4]), *Corradus* [5]), *Lambinus* [6]), *Grifolus* [7]), *Mattius* [8]),

---

il Regno di Domiziano. Ei dunque non può essere Virginio Rufo. Innoltre Plinio nel lungo elogio, che fa di quest' uom valoroso II. Ep. 1. *fralle moltissime cose, che ne dice in lode, non fa alcun motto di lettere nè di libri. Or se Virginio Rufo avesse veramente scritti que' libri, Plinio, che aveva in sì gran pregio gli studi, avrebbelo egli dissimulato? Che poi il Virginio, di cui parla Quintiliano, sia l'Autor de' libri ad Erennio, non vi ha ragione che basti o a negarlo, o ad affirmarlo.* Adscripsimus haec, quoniam recte disputata videbantur.

1) Lectt. Succis. l. 4.

2) Apud Sinib. Anton. in Dialogo laud.

3) *Disquisitio Ascensiana* exstat in Rhett. ad Her. Lugd. 1513.

4) Var. Lectt. l. XXII. 24.

5) Quaestura p. 255.

6) Nott. ad lib. II. ad Her. 16.

7) *Disput. qua Rhet. libb. ad Her. scriptos ad Cicer. nihil omnino pertinere declarat.* Flor. 1550.

8) Adnott. in varios auctt. c. 2. et Libb. Opinionum p. 457. sqq. Cf. Burman. l. l. p. 32.

Glandorpius[1], *Demsterus*[2], *Barthius*[3], *Gronovius*[4], *Proustius*[5], *Tiraboschi*[6].

Hanc autem a renatis inde literis et omni deinceps tempore magna contentione agitatam quaestionem *Burmannus,* quoad ejus fieri potuit, diligentissime exploravit[7]. Breviter sententias singulorum, qui aliquid ea de re prodiderunt, contraxit; cui enumerationi si quorundam haud spernenda memoria desit, viro in tanta supellectile occupato facilem veniam damus. Varias autem variorum sententias non solum laudavit, sed adhibito judicio accurate perpendit, ipse tamen nihil statuit, sed cohibuit assensionem[8]. Neque magis in divinando auctore profecit *Spaldingius,* in eo vero laudandus, quod in adornanda Quintilianearum Institutionum editione loca controversa diligenter attendit, quibus respici auctorem ad Herennium satis multis persuasum erat. Ex eorum locorum comparatione demonstrare conatus est[9], Quintiliano quidem praeceptionis Herennianae auctorem certissimum visum esse Cornificium juniorem, Ciceronis in auguratu collegam, quem Vossius significaverat. *Purgoldus* autem, qui in comparando incerti auctoris opusculo cum Rhetoricis de Inventione accurate versatus est, nihil de ipso auctore certi affirmare ausus est[10].

---

1) Onomast. Vid. Jo. Rainoldus. Prael. XX. de libris Apocryphis vol. I. p. 166.
2) Ad Rosinum II. 16. p. 163.
3) Advers. XIII. 8.
4) Nott. ad l. IV. ad Her. 8.
5) Init. Nott. ad Rhet. ad Her. Cf. Burm. l. l. p. 42.
6) Storia. Vol. II. p. 246. Cf. Heumannus Sched. de libb. Anon. et Pseudon. p. 149. sqq.
7) Cens. l.
8) Praef. Dedic. Edit. Rhett. p. 6. et 36.
9) Ad Inst. Orat. IX. 3.
10) Obss. Crit. in Soph. Eurip. Cic. Jenae 1802. Cf. Wetzel l. l. p. 18.

CAPUT II.

Schutzii conjectura.

Quodsi recentiore aetate ac nostris temporibus quaerimus, quae valuerit sententia de incerto auctore ad Herennium, improbatam videmus veterum Grammaticorum aliorumque auctoritatem, qui sine judicio tralatitium errorem secuti, Ciceronem auctorem statuerunt [1]). Sed haec quidem communis jamdudum fuerat acutius judicantium sententia. Novae sententiae auctor exstitit *Schutzius*. Hic recedens a variis variorum conjecturis atque opinionibus, M. Antonium Gniphonem, nobilem Ciceronis aetate rhetorem, ipsius Ciceronis dicendi magistrum, auctorem salutavit [2]). Primum autem, quoniam nondum satis constare videbatur, posterioresne libri de Inventione, an antiquiores Rhetoricis ad Herennium essent, hanc sibi quaestionem tractandam sumsit, accurateque, quoad ejus fieri poterat, aetatem operis Herenniani constituere studuit: deinde, missa ceterarum opinionum refutatione, quippe quas et alii multi et studiosissime Burmannus oppugnasset, errorem de Cornificiis, quorum probe aetatem distinxit, refellere aggressus, nec patrem nec filium auctorem habendum esse, e temporum, quibus uterque floruit, ratione ita probabiliter demonstravit, ut dubitationi nullum locum reliquerit [3]). Tandem suam sententiam de auctore proposuit, diversasque, quae eam firmarent et comprobarent, rationes indicavit. Quae quidem quanti sint habitaeque fuerint, nunc juvat explorare.

---

1) Cff. Wetzel. Op. l. Prolegg. Bähr Op. l. p. 370. Hand in Ersch. Encyc. t. XVII. p. 208. Bernhardy Röm. Lit. p. 298. Westermann. Op. l. p. 186. sqq.

2) Prolegg. ad Cic. Rhett. Lips. 1804. et Opp. Cic. Prooem. p. 58. sqq.

3) Eod. l. p. 47. sqq., 55. sqq.

Universe quidem meritissimam solertiae laudem nacta et vel apud dissentientes tuita est [1]). Etiam probabilitate ita nonnullis placuit, ut tantum non calculum sententiae adjicerent, ac fere inviti cunctarentur. Neque tamen ab omni parte satisfecit multis, aliis etiam verbo totam rationem tollere conantibus. Quod enim Schutzius commendandae sententiae causa posuerat, Gniphonem ingenuum, in Gallia natum, sed expositum, deinde a nutritore suo manumissum, in cognatis habere potuisse Herennium, civem Romanum, negandum visum est Orellio. *Unum hoc*, ait [2]), *vocabulum cognatio funditus evertit speciosam ceteroqui Schutzii opinionem, de M. Antonio Gniphone, horum librorum scriptore. Etenim qua tandem is, in Gallia tenui loco natus, expositus et a nutritore postea manumissus, cognatione attigerit C. Herennium nobilem hominem Romanum?* Idem alio loco [3]): *Gnipho certe non fuit incertus Rhetor, qui ad Herennium scripsit: is enim, utpote libertinus homo, nullo modo C. Herennium, nobilem civem Romanum, cognatione attingere poterat.* Brevius vereor, quam verius ille. Nam diserte Suetonius Gniphonem *ingenuum,* non *libertinum* appellat [4]). Ingenui autem quum sint, qui ex matre libera sunt nati, fieri potuit, ut mater Gniphonis Romana esset et conjuncta cum Herenniorum familia. Res ita se habere potuit. Filius, expositus a parentibus, in servitute educabatur, deinde a nutritore, qui eum susceperat, manumittebatur. Resciscens

---

[1]) Wetzel, Rhett. Minn. Vol. I. Prolegg. p. 17. Fuhrmann. Handb. d. Class. Liter. Vol. II. p. 88. Bähr Op. l. p. 370. Hand l. l. Bernhardy Op. l. n. 23 not. Westermann l. l.

[2]) Opp. Cic. Vol. I. p. 102 not. 5.

[3]) Onom. Tull. p. 281. cf. p. 54.

[4]) De Ill. Gr. 7.

autem ille veram originem, professusque eam, quamvis in clientela ejus, a quo manumissus erat, maneret, et gentilitium nomen *Antonii* vero nomini *Gniphonis* adderet, jura sua recuperabat, et in libertatem vindicabatur [1]). Similia habemus exempla apud Suetonium, quibus apertior res erit. Valerius Cato [2]), item Gallus, qui a nonnullis Burseni cujusdam libertus habitus fuerat, ipse libello, quem scripsit, ingenuum se natum declaravit, et, pupillum relictum, licentia Sullani temporis exutum patrimonio. Aliud exemplum, quippe cum nostro conjunctius, manifestius est. Traditur C. Melissus [3]) ingenuus, sed ob discordiam parentum expositus, deinde ab educatore institutus, Maecenati muneri datus. Cui quum se gratum videret, quamquam adserente matre, permansit tamen in statu servitutis, *praesentemque conditionem verae origini* anteposuit, donec manumissus est a benefactore suo. Nulla autem causa est, cur putemus, Gniphonem verae origini libertini conditionem praetulisse, nec maluisse, Romam Alexandria delatum, ea existimatione frui, quae libero homini contingebat [4]). Quapropter nihil sane impedit, ne dicamus, Gniphonem, quum in libertatem esset assertus, scribere potuisse ad Herennium, cognatum suum, civem Romanum. Quod si non negandum videatur, hac

---

[1]) Ex regula juris: *Natalibus non officit manumissio.*
[2]) Eod. l. 11.
[3]) Eod. l. 21.
[4]) Plinius de illa quaestione dubitabat. Rescripsit autem ei Trajanus: *Quaestio, quae pertinet ad eos, qui liberi nati, expositi, deinde sublati a quibusdam et in servitute educati sunt, saepe tractata est: nec quidquam invenitur in commentariis eorum Principum, qui ante me fuerunt, quod ad omnes provincias sit constitutum.— Ideo nec assertionem denegandam iis, qui ex ejusmodi causa in libertatem vindicabuntur, puto: neque ipsam libertatem redimendam pretio alimentorum.* Epist. l. X. 72.

quidem ratione nec tolli nec labefactari Schutzianae sententiae fidem patet.

Praeterea, quae de Gniphonis ingenio, doctrina, memoria, moribus ac natura a Schutzio disputantur, in doctorem Herennianum scite conveniunt. Sed visus est sibi idem difficultatem superasse, quae tolli commode non potest. Verba sunt Suetonii [1]): *Ajunt scholam ejus claros quoque viros frequentasse, in his M. Ciceronem etiam cum praetura fungeretur.* Abutitur his Auctor, quum inde constare censeat, disciplina Gniphonis Tullium non solum praetorem usum esse, sed etiam adolescentem. In quo merito culpatur [2]), quandoquidem vocabulo *etiam* sic posito haec vis non inest, ut ad superius quoddam tempus simul spectet. Verisimile mihi videtur, locum Suetonii mutata interpunctione adjuvandum esse: — *in his M. Ciceronem etiam, cum praetura fungeretur.* Fateor, pugnare cum Grammaticae legibus *etiam* hoc sensu pro usitatiore *quoque* positum; verum, quum praecessisset haec vox, ne iterata displiceret, alteram invito sermone in ejus locum successisse existimo. Perpetua autem haec est auctoris consuetudo, ut ista vocabula hac positione usurpet. Itaque retinuit usum vulgarem in his: *praecepisse autem multis et claris juvenibus: in quibus Appio quoque et Pulchro Claudiis fratribus* [3]): nihil enim, cur

[1]) De Ill. Gr. 7.

[2]) Cf. Hand in Ersch. Encyc. l. l. p. 207. Perperam tamen ille sententiam suam defendit verbis Suetonii Cl. Rhet. 1.: *Cicero ad praeturam usque Graece declamavit, Latine vero senior quoque;* quibus verbis quamvis affirmet auctor, Ciceronem Graece, a quo tempore Praetor factus esset, non declamavisse, minime tamen negat, Latine declamandi usum ei ante praeturam familiarem fuisse. Quod diserte Cicero testatur Bruto 89.

[3]) L. l. c. 10.

ab eo discederet, causae erat; addit autem: *quorum etiam comes in provincia fuerit.* Similiter: *Rhetorica quoque apud nos sero recepta est, paulo etiam difficilius* [1]. — *Nero Caesar et primo imperii anno, publice quoque bis antea declamavit: plerique autem oratorum etiam declamationes ediderunt* [2]. Ea autem significatione, quam Schutzius voluit, usurpavit disjuncte [3]: *hic quidem ad ultimam aetatem, et cum jam non gressu modo deficeretur, sed et visu.* Ceterum, quam sit inconstans in observanda hac Grammatica subtilitate, hinc patet [4]. *Scripsit, praeter Grammaticos libellos, etiam poemata;* quum alio loco dicat: *Fecitque praeter commentarios — satyram quoque* [5]. Non igitur Suetonius docuit, Gniphonis scholam a Cicerone adolescente frequentatam esse. Neque Macrobius affirmat, qui provectiorem Ciceronis aetatem respiciens: *Antonius Gnipho, vir doctus, cujus scholam Cicero post fori laborem frequentabat* [6]. Cicero autem ipse, gratus magistrorum, quotquot de se juvene optime meruerant, commemorator, qua tandem ratione Gniphonis immemor esse potuit, si adolescens eo magistro usus fuisset, cujus scholam vir adire non erubuit? Contra vero qua ratione vir praetura fungens acquiescere in eo audiendo poterat, quem adolescens superare sibi visus esset, quum institueret Rhetorica edere, quae magnam partem referrent illius institutionem, longissime vero simul excederent [7]? His argumentis

---

[1]) De cl. Rhet. 1.
[2]) L. l.
[3]) De Ill. Gr. 3. fine.
[4]) De Ill. Gr. 11.
[5]) Eod. l. c. 5.
[6]) Saturn. III. 12.
[7]) Wetzel Op. I. p. 19.

magnopere infirmari existimamus, quod Schutzio ad probandam sententiam suam praesertim demonstrandum videbatur.

Neque vero illud leve argumentum est, quod e Gniphonis comparatione cum doctore Herenniano petitur. Hic enim, teste Rhetoricorum prooemio, quodcunque sibi a quotidianis occupationibus et negotiis familiaribus superesset temporis, libentissime in philosophiae studiis consumebat. Philosophiae autem Stoicae favisse eum, ratio ipsa ac varietas exemplorum ostendit, quibus praecepta rhetorica illustrare conatur [1]). Quodsi Gnipho horum Rhetoricorum auctor esset habendus, magnopere miraremur, Suetonium philosophiae studium, quod opinione auctoris praevaleret, negligenter tacuisse. Eoque incredibilius videretur silentium, animadvertentibus, ista, quae Grammaticis et Rhetoribus, praeter haec munera sua, factitata constaret, Suetonium nullo modo vel latuisse vel fugisse. Ita in Pompilio Andronico, in Aurelio Opilio, in Lucio Crassitio studium philosophiae, in Valerio Catone poeseos professio laudatur.

Tandem, ut finem his animadversionibus imponamus, universe monendum est, pleraque omnia argumenta, quae Schutzius contulit, non ita respondere iis, quae de incerto auctore ad Herennium cognita habemus, ut nullus alius praeter Gniphonem eadem verisimilitudine commendari posse videatur [2]). Quamobrem Schutzii conjectura, suis minime destituta laudibus, ea probabilitatis vi caret, quae ad fidem faciendam necessaria est. Alia igitur tentanda ratio est, ut huic quaestioni satisfiat. Mihi verus Herenniani operis auctor esse videtur Aelius Stilo

---

[1]) Fuhrmann Op. l. l. l. Wetzel l. l. p. 15.
[2]) Westermann Op. l. p. 188.

Praeconinus, qui aetate Ciceronis naviter Romae Grammaticae operam dedit, ipsiusque Ciceronis magister fuit. Sed hanc sive sententiam, sive conjecturam ut recte legentibus explicemus, initium disquisitionis nostrae sit ab origine et progressu Grammatici et Rhetorici studii apud Romanos.

CAPUT III.

Grammatices et Rhetorices studia apud Romanos usque ad Ciceronis tempora.

Ut plurimarum artium, ita Grammatices exilis apud Romanos origo, serum studium fuit. Antiquitus ne in usu quidem, nedum in honore ullo erat, rudi scilicet ac bellicosa etiamtum civitate, necdum magnopere liberalibus disciplinis vacante [1]. Adeo latuerunt ejus prima initia, vix ut aliqua vestigia reperias, ac traditione, quidquid ea de re constet, nitatur. Deperditis autem libris, quibus prisca literarum memoria consignata erat [2], conjectura magis quam certis testimoniis incunabula artis Grammaticae apud Romanos ejusque progressum et ad propriam artis formam compositionem assequi licet.

Prima Latinae linguae elementa partim propria, partim peregrina fuerunt. Multarum enim gentium vicinitas, quibuscum Romanis commercium erat, opportunitatem sensim praebuit fingendae formandaeque illius linguae, quae absorbere ceteras omnes et ad singularem cultum et elegantiam seculorum decursu componi coepit. Praeter alias autem, lingua Tuscà magnam videtur vim habuisse; quippe gens illa magnos jam fecerat ad humanitatem pro-

[1]) Suet. Ill. Gr. 1.
[2]) Huc sine dubio pertinuit Varronis opus *de Grammatica*, cujus tria tantum fragmenta supersunt.

gressus, quo tempore Romani adhuc rudes erant, et in bellis gerendis maximopere occupati. Ab Etruscis multa adsciverunt, quae ad sacra, praecipue ad haruspicinam augurandique disciplinam, item ad ludos scenicos pertinebant. Quarum rerum communicatio naturalem gentis Romanae ferociam et horridum vitae genus non poterat non temperare ipsamque aliquo humanitatis sensu imbuere. Mucium igitur illum, qui Porsenae castra intravit, nutrix Etrusca puerum Etruscâ linguâ erudivit [1]), posteaque more receptum Romae, ut pueri in Etruriam disciplinae causâ mitterentur [2]). Propter memorabilem hanc et frequentem in historia Romana Etruscorum mentionem, verisimile est, ab iisdem etiam scholarum publicarum morem repetendum esse. Livius narrat [3]), morem fuisse Faliscis, eodem magistro liberorum et comite uti, simulque plures pueros unius curae demandare; principum vero liberos ab iis, qui scientia viderentur praecellere, erudiri solitos. Eodem tempore idem moris erat Tusculanis [4]), quorum urbem ingressus Camillus, ludos literarum strepentes discentium vocibus invenit. Apud Romanos autem

---

[1]) Dion. Hal. Antiqq. Rom. V. 28.

[2]) Liv. IX. 36 de Fabio Caesone dicit: *Caere educatus apud hospites, Etruscis inde literis eruditus erat, linguamque Etruscam probe noverat. Habeo auctores, vulgo tum* (314 a. Chr.) *Romanos pueros, sicut nunc Graecis, ita Etruscis literis erudiri solitos.* Müller, Die Etrusker Vol. II. p. 346. et p. 312. Ellendt ad Brut. Cic. Prolegg. p. 8. Cff. Cic. Div. I. 41. ibique Moserus. Val. Max. I. 1. — Tradit Servius ad Aen. VII. vs. 695. populum Romanum missis decemviris a Faliscis jura Fecialia et nonnulla supplementa XII tabb. accepisse. Quum tamen hac de re nihil aliunde constet, commentitium vulgo habitum est.

[3]) V. 27.

[4]) Id. VI. 25.

ludi literarii nulli memorantur ante Decemviratum Appii Claudii [1]; nequaquam tamen inde conficias, recens eo tempore Romae institutum fuisse [2]). Videntur in iis ludis legendi, pronuntiandi, fortasse etiam scribendi numerandique exercitationes quaedam institutae esse. Haec dicebantur *primae literae* [3]), erantque velut Grammaticae infantia, quam Varro *literationem* vocabat [4]). Qui docebant, servili conditione erant, neque admodum periti, sed e genere librariorum et calculatorum.

Itaque perquam tenuis a fonte, Grammatica ab hac appellationis suae paupertate, intra quam primi illi con-

---

[1]) Dion. Hal. Antiqq. Rom. XI. 28. *Ταύτην τὴν κόρην* (Virginiam) *ἐπίγαμον οὖσαν ἤδη, Θεασάμενος Ἄππιος Κλαύδιος ἀναγινώσκουσαν ἐν γραμματιστοῦ· ἦν δὲ τὰ διδασκαλεῖα τῶν παίδων τότε περὶ τὴν ἀγοράν.* Liv. III. 44. *Virgini venienti in forum (ibi namque in tabernis literarum ludi erant).* — Cff. Jntt. ad L. l. Tirab. Op. l. III. l. I. p. 112. Niebuhr, Röm. Gesch. Vol. II. p. 132. J. G. Walch, de gymnasiis literariis veterum Romanorum. Jenae, 1721.

[2]) Obiter l. l. Livius ludorum meminit; quare vix causa est, cur suspicemur, illorum institutum ac rationem a legatis, qui in Graeciam paulo ante Appii decemviratum legum cognoscendarum gratiâ profecti erant, Romam e Graecia translata esse.

[3]) Quintil. Inst. Or. I. 1. Pseudo-Asc. in Divin. §. 47. *Omnem scholam ludum dixere Romani, et magistri ludi dicuntur, qui primas literas docent.* Cff. August. Conf. I. 13. Vossius de arte Gr. I. 1. Cellarius Diss. de studiis Rom. literariis in Urbe et in Prov. (Diss. Acadd. p. 341 sqq. et Sallengre, Antiqq. Rom. Vol. III.) Rodigini. De publica institut. Romanorum. Venet. 1710. Joh. Oliva. Tract. de antiqua in Rom. scholis Grammaticorum disciplina. Venet. 1718. Chr. Falster. Quaestt. Rom. L. 1718. Lindinger. De cultura juvent. Rom. Progrr. IV. Halae 1754. H. Hegewisch. Hist. Untersuchung, ob bei den Alten öffentliche Erzieh. war. Altona 1812. K. Roeder, De Scholast. Rom. instit. Bonn.

[4]) Apud August. De Ord. II. 12. et Isidor. Orig. I. 3.

stitere, aliquantulum deinde provecta est. Praesidio primus ei fuisse dicitur Livius Andronicus, libertinus homo et cognomine *Grajus* [1]. Patroni ille sui, sive Salinator viri nomen fuit, sive Macatus, liberos instituit, simulque ludos scenicos, qui erant inconditi, ad meliorem rationem composuit. Docere etiam fabulas coepit, Graecos poetas imitatus. Instituendi munus utraque lingua domi forisque tuitus est, ita tamen, ut tantum Graeca interpretaretur, Latina vero, quae confecisset, praelegeret tantum. Nota autem res est, universe literarum studia plurimum apud Romanos omni deinde tempore servorum operae debuisse; Livius ipse servus fuerat, ex magna Graecia, ut videtur, oriundus; qui quum ob ingenium doctrinamque domino placuisset ac manumissus esset, a domesticae disciplinae angustiis ad publicum docendi munus se contulit.

Livium deinceps secutus Ennius, epico carmine primus res gestas Romanorum celebravit, ac fuit in eodem disciplinae genere, quod instituerat Livius, occupatus [2]). Quantam literis Graecis operam navaverit, quantumque iis Romanorum ingenia imbuere studuerit, e versibus patet, quos de Romanis usurpavit [3]).

Contendunt Graecos: Grajos memorare solent sos,
Quod Graeca lingua longos per tempori' tractus
Hos pavi.

---

[1]) Suet. l. l. *semigraecum poetam et oratorem* appellat. Terent. Maur. de Metris vs. 1931. ibique Lennepius. p. 177. cff. Tirab. Op. l. Vol. III. l. II. p. 118. Bergman Comment. de litt. cond. ap. Rom. (Ann. L. B. 1816—1817). Bähr Op. l. p. 41. sqq.

[2]) Suet. l. l. Tirab. l. l. p. 126 sqq.

[3]) Festus v. *Regium* ibique Scaliger.

Hujus autem poetae in linguam latinam merita laudantur ab Horatio [1]:

— *Cum lingua Catonis et Enni*
Sermonem patrium ditaverit, ac nova rerum
Nomina protulerit.

Iccirco Livii et Ennii exemplo excitata Romanorum studia sunt, ut aliquid ipsi dignum illorum conatibus praestarent. Sub idem enim tempus Sp. Carvilius, libertus illius Carvilii, qui primus Romanorum divortium ab uxore fecit, aperuisse ludum et mercede docuisse fertur [2]. Quod disciplinae genus instituerit, non constat. Videri potest Latina interpretandi munus suscepisse; versatum autem esse in pronuntiandi arte, inde patet, quod primus distinxit literam G, cujus vicem C obtinuerat [3]. Simile institutum fuit Chilonis, qui Catonis Censorii servus erat [4].

Exstabat igitur hac aetate materia satis ampla, multorum poetarum et historicorum operibus condita; locupletata multis verbis latina lingua erat Ennii potissimum et Catonis ingeniis; literarum ludi erant, in quibus disciplina in dies magis excolebatur, quo propius ad Graecae rationis imitationem praeceptores accedebant. Veruntamen his satis prosperis opportunitatibus Romani, nondum cog-

---

1) Epist. ad Pison. v. 56 sqq.

2) Plut. Quaestt. Rom. p. 278. *Ὀψὲ δ' ἤρξαντο μισθοῦ διδάσκειν, καὶ πρῶτος ἀνέῳξε γραμματοδιδασκαλεῖον Σπορίος Καρβίλιος ἀπελεύθερος Καρβιλίου τοῦ πρώτου γαμετὴν ἐκβαλοντος.* Cff. Funccius Orig. L. L. p. 169. Tirab. Op. l. p. 141.

3) Plut. l. l. p. 277. *Καὶ γὰρ τὸ κ. πρὸς τὸ γ. συγγένειαν ἔχει παρ' αὐτοῖς· ὀψὲ γὰρ ἐχρήσαντο τῷ γάμμα, Καρβιλίου προσεξευρόντος.* Terent. Scaur. ap. Putsch. p. 2253. Vossius Op. l. p. 24. 37. Funccius l. l. p. 38. 169. Diss. de Puer. L. L. c. 5. §. 5.

4) Plut. Cat. Maj. 20. *Ἐπεὶ δ' ἤρξατο συνιέναι ὁ υἱὸς, παραλαβὼν αὐτὸς ἐδίδασκε γράμματα· καίτοι χαρίεντα δοῦλον εἶχε γραμματιστὴν, ὄνομα Χίλωνα, πολλοὺς διδάσκοντα παῖδας.* Cf. Schlosser. Univ. hist. Uebers. Vol. II. 2. p. 258.

nita adhibitaque critica facultate, recte scienterque uti non poterant. Peroptata igitur literarum latinarum fortuna contigit, ut brevi post incredibili studio Graeci Grammatica tractarent, studiorumque suorum Romam participem redderent. Celeberrimi illorum temporum aequales, Aristarchus et Crates, novum hoc stadium ingressi, Alexandriae alter, alter Pergami magna doctrinae fama, nec minore obtrectationis acerbitate docendi munus susceperunt. E quorum scholis cum multus in literarum studiis usus, multiplex eruditio, ingens antiquitatis cognitio efflorescerct, tum proprie ars critica originem habuit. Abusi autem ea sunt et ipsi illi doctores et qui eorum vestigia secuti sunt, permulti [1]), sed haec vitia ac detrimenta leviora videantur necesse est, si commoda spectes. Apcruerunt enim non solum novas inclarescendi vias, verum excitarunt ingenia, ut acrius diligentiusque in quaerendis verborum originibus, in interpretandis veterum auctorum sententiis, in dijudicanda singulorum scriptorum auctoritate et fide versarentur. Consenuerat exarueratque uberrima ingenii vis, qua antiqui Graeci, qua omnium artium et disciplinarum inventrices Athenae nobilitatae fuerant; iccirco ad haec minora veniebatur, quorum tamen maxime intererat, quaeque studiosius prudentiusque postea pertractata, favere bonis studiis debuerunt.

Diversam in Grammatici et Critici munere tuendo principum par, Aristarchus et Crates, rationem inierunt. Nam alter analogiam, rationis constantiam, alter anomaliam, consuetudinis rationem, commendabat [2]). Gravissimae inde exstiterunt controversiae, quae in scholarum successione

---

[1]) Vid. Wolf. Prolegg. ad Homer. p. 227 sqq.

[2]) Varro. De L. L. VIII. 23., IX. 1. Müll. Gellius II. 25. Sext. Emp. adv. Gramm. 10. Vossius. De arte Gr. l. III. p. 118.

diu perdurarunt. Nec minus principes illi de scriptorum veterum interpretatione a se invicem dissenserunt, quum Aristarchus omne judicium ex ipsa antiquitatis ratione peteret, eoque interpretationis et emendationis consilium ac modum referret, Crates contra, philosophia Stoica fretus, veterum scriptorum intelligentiam ad usum doctrinamque sui aevi accommodaret [1]).

Crates igitur primus dicitur Grammaticae studium in Urbem intulisse. Sub ipsam Ennii mortem ab Attalo Rege ad Senatum missus, Romae fracto crure resedit diutius, et per omne legationis tempus plurimas ἀκροάσεις fecit, assidueque disseruit, ac Romanis exemplo fuit ad imitandum [2]). Floruisse eum magna auditorum frequentia, et captos tum novitate rei, tum doctrinae magnitudine, qua peregrinus homo excelleret, ingenti studio imbuisse, facile intelligitur. Sed ejus commoratio Romae non continuo eam vim habere potuit, ut post discessum ejus sic continuaretur totius disciplinae ratio, prout eam ipse instituisset. Hactenus imitati sunt Crateteum morem, ut carmina, parum adhuc divulgata vel defunctorum amicorum, vel si quorum aliorum probassent, diligentius retractarent, ac legendo commentandoque etiam ceteris nota fa-

---

[1]) Wolf. l. l. p. 278. *Permirum est, in paucis reliquiis Cratetis satis argumenti esse, ut quibus de rebus cum Aristarcho contenderit, et quantum inferior fuerit illo, suspicari liceat. Imo nullius veterum criticorum ingenium et doctrinam nobis tam bene nosse videmur, quam Cratetis. Ac primum quidem, quum Aristarchus Homerum ad simplicitatem priscorum temporum, non ad novas opiniones temere affictas, interpretari instituisset, Crates Stoicus gloriae vatis male consuli putavit, nisi ipsi multiplices artes Pergamenas allineret, eumque converteret in Philosophum, Mathematicum, Astronomum, Geographum et quidvis potius quam quod ipse voluerat.*

[2]) Suet. Ill. Gr. 1. Cf. Schlosser Op. l. l. l.

cerent. Quaecumque igitur recentis memoriae scripta exstabant, magis magisque advertebant hominum animos; legendi cognoscendique studium invaluit, et qui ingenio ceteris praestabant, distribuendorum carminum atque in certum ordinem redigendorum, quo essent publicis praelectionibus aptiora, communi consilio rationem quaesiverunt. Sic Naevii Bellum Punicum, uno volumine et continenti scriptura expositum, Octavius Lampadio in septem libros divisit [1]). Quo magis autem haec studia creverunt, celebriorque ad audienda poetarum opera auditorum corona confluebat, eo major in docentibus ardor, eo diligentior in recta universorum carminum pronunciatione, interpretatione, enarratione cura. Qui hoc data opera factitabant, quippe interpretes poetarum, *literati* appellabantur [2]). Fuit hic velut secundus gradus, quo Grammatica antiqua escendit, ostendens, quemadmodum quodque poeta finxerit verbum, confinxerit, declinarit [3]). Antiquae Graecorum fabulae, quarum argumenta in Livii, Ennii aliorumque poematis exstabant, explicabantur, ac fortasse Cratetea ratio invaluit, Homerum, in quo ille sic habitaverat, ut ab hoc studio cognominaretur Homericus, allegorica ratione interpretandi. Livii Odyssea Homerica, quam Horatio adhuc puero Orbilius enarra-

[1]) Suet. l. l. ibique Casaubonus, qui Graecorum morem cum Romanorum confert. Recte autem Suringar. Hist. Crit. Scholiast. Latt. Vol. I. p. 58: *Interpretes illi, etsi negari non queat, ipsos in istorum poetarum scriptis interpretandis non nihil operae collocasse, an carmina, quae legerint, scriptis commentariis interpretati fuerint, summopere dubia res est. Equidem crediderim hos interpretes anagnostarum magis quam Grammaticorum munere functos esse.*

[2]) Suet. l. l.

[3]) Varro de L. L. V. 7. Cf. Cic. de Div. I. 18. et 51. Quint. II. 5. init.

bat [1]), haud dubie hac aetate praecipuo loco habebatur, itemque Ennii Annales, populares illi et maximis semper laudibus celebrati, certis diebus in magna hominum frequentia pronuntiabantur [2]): quem morem diutissime videntur retinuisse, quoniam Ennium ut Homerum suum colebant [3]). Credibile est, in literarum ludos haec studia migrasse, utque non delectationem tantum, sed uberiorem etiam utilitatis fructum poetarum lectio afferret, in usu fuisse praeceptoribus, eos maxime versus ad scribendi imitationem discipulis proponere, qui non otiosas, sed honestum aliquid et ad vitae usum utile monentes sententias haberent [4]). Valuerunt eodem dicta clarorum virorum et istiusmodi loci, quibus pronuntiandis memoriaeque mandandis erudirentur juvenum ingenia, animi autem ad liberalem humanitatis sensum emollirentur.

Florentibus hisce studiis accessit paulo post prosae orationis cura et interpretatio. Historica opera Fabii Pictoris, Cincii Alimenti, praesertim Catonis scripta et orationes, quas hoc magis intererat rite cognoscere, quo ad civilem vitam propius pertinebant, in plurimorum notitiam, assiduitate atque industria interpretum, perveniebant. Itaque quum ex harum rerum commentatione pristina studia amplificarentur, uberiorque inde disciplina effloresceret, Grammatica, teste Varrone [5]), scientia quaedam fiebat eorum, quae a poetis, historicis oratoribusque

---

1) Epist. II. 1. v. 68.
2) Suet. l. l.
3) Casaub. ad Suet. l. l. *Recitatio haec Annalium in corona circumstantium morem Graecorum Rhapsodorum in Homericis versibus pronuntiandis referebat. Quare ut fuere in Graecia, qui Homeridae dicebantur, sic in Italia, qui Ennianistae.* Cf. Gellius XII. 5.
4) Quint. Inst. I. 1. fin. Cf. Auct. ad Her. IV. 4.
5) Apud Victorinum de Orthogr. init.

dicebantur. Ejus praecipua officia erant quatuor, scribere, legere, intelligere, probare. Soluta igitur finibus iis, quibus dudum contenta fuerat, non amplius *literatio* erat, sed re vera *literatura* vocari poterat, quae *assumtis poetarum historicorumque viribus* [1]), *pleno satis alveo fluebat, cum praeter rationem recte loquendi, non parum alioqui copiosam, prope omnium maximarum artium scientiam amplexa sit.* Sensim etiam pristinum nomen, quo *literati* dicebantur, qui docebant, obsolevit, invaluitque Graeca consuetudine *Grammaticorum* appellatio [2]).

Sed Grammaticae professio, ut ait Quintilianus [3]), cum brevissime duas in partes dividatur, recte loquendi scientiam et poetarum enarrationem, „plus habet in recessu, quam fronte promittit.“ Nam et scribendi ratio conjuncta cum loquendo est, et enarrationem praecedit emendata lectio, et mixtum his omnibus judicium est. Itaque recte fecisse Cratetem judicamus, qui in Critico omnis liberalis doctrinae, quam Graeci ἐγκυκλοπαιδείαν vocant, scientiam requireret [4]); veruntamen eum ipsum, quem ars illa nobilitavit, doctrinae copia non admirabilem fecisset, nisi ingenii vis eam illustrasset. Abhinc igitur Grammatici Romani, eruditione clari, facultatem criticam exacuere

---

[1]) Quint. II. 1. Dubito an recte dicatur Grammatica *assumere poetarum vires.* Non enim probatur loco Virgilii:
Mobilitate viget, viresque acquirit eundo.
neque hoc Ovidii Her. XX. 14.
— *sed idem tamen acrius illud*
Adsumsit vires; auctaque flamma mora est.
quippe in his vires non aliunde crescunt, sed ipsae intenduntur atque exseruntur. Quare conjicio legendum esse: *Nam tenuis a fonte, assumtis poetarum historicorumque r i v u l i s, pleno jam satis alveo fluit.*

[2]) Suet. l. l. 4.

[3]) Inst. Or. I. 4.

[4]) Sext. Emp. Adv. Gramm. I. 79.

et excolere coeperunt. Exserebatur autem cum in omni omnino studiorum genere, tum praecipue in accurata etymologiae investigatione, quae Varronis aetate ac Varrone potissimum auctore Romae viguit. Tertius hic revera gradus fuit, quem philosophia Stoica consequebatur, plurimumque inde emolumenti Grammaticae studium percepit. Quo quum perducta esset Grammatica, in artis formam omnia conveniebant, quae antea dispersa ac dissipata fuerant, poetarum pertractatio, historiarum cognitio, verborum interpretatio, pronuntiandi quidam sonus [1]).

Sed de his pluribus infra, ubi philosophiae Stoicae vim attendemus; nunc de Rhetoricae apud Romanos studiis. Sero tolerata haec ac recepta Romae fuerunt, quippe moribus antiquis et institutis et vero severissimae disciplinae, qua diu stetit Roma ac solâ stare posse credebatur, adversari visa. Pariter atque Grammaticae, initia ejus et vera origo a Graecis fluxerunt. Ante Cratetis Romam adventum nulla disciplinae rhetoricae vestigia inveniuntur; paulo post tamen, Achaeis exsulibus in vicinas terras dispersis, Romanorum ingenia, discendi ardore excitata, ad ejus artis studium incubuerunt. Polybius, unus ex iis, qui patrium solum verterant, Romam devertit, ibique familiaritate principum Romanorum tutus, egregie iis consuluit, philosophiaque eos erudivit [2]). Praeterea alios multos eo tempore instituendae juventutis causa Romam convenisse, patet ex memorabili commorationis suae in Urbe et sermonis cum Scipione habiti descriptione Polybiana [3]): Ἐγὼ δὲ κἂν ἡδέως σοι συνεπιδοίην ἐμαυτὸν,

[1]) Cic. de Orat. I. 42.
[2]) Pausan. VII. 10. p. 549. Diod. Sic. De Virt. et Vit. II. p. 585.
[3]) L. XXXII. 9. Casaub. ad Suet. de Cl. Rhet. 1. Lyndenus in Disp. de Panaetio p. 40. verbis Polybii Graeco-

καὶ συνεργὸς γενοίμην εἰς τὸ καὶ λέγειν τι καὶ πράττειν ἄξιον τῶν προγόνων· περὶ μὲν γὰρ τὰ μαθήματα, περὶ ἃ νῦν ὁρῶ σπουδάζοντας ὑμᾶς καὶ φιλοτιμουμένους, οὐκ ἀπορήσετε τῶν συνεργησόντων ὑμῖν ἑτοίμως, καὶ σοὶ κἀκείνῳ· πολὺ γὰρ δή τι φῦλον ἀπὸ τῆς Ἑλλάδος ἐπιῤῥέον ὁρῶ κατὰ τὸ παρὸν τῶν τοιούτων ἀνθρώπων· Fuerunt illi philosophi ac rhetores, fortasse ex Achaeis exsulibus Romam delati. Contra eos Senatusconsultum factum est, quo Praetor animadverteret curaretque, uti ei e Republica fideque sua videretur, uti Romae ne essent [1]). Mansit tamen in Urbe Polybius Scipionum praesidio et auctoritate, quorum in persequendis literarum studiis alacritatem aluit. Venit deinde Romam nobilis illa philosophorum legatio, tribus scholarum principibus composita. Horum doctrinae fama commovit Urbem, eloquentia incredibili studio inflammavit. *Οἱ φιλολογώτατοι τῶν νεανίσκων ἐπὶ τοὺς ἄνδρας ἵεντο, καὶ συνῆσαν ἀκροώμενοι καὶ θαυμάζοντες αὐτούς· μαλιστα δ' ἡ Καρνεάδου χάρις ἧ δύναμίς γε πλείστη καὶ δόξα τῆς δυνάμεως οὐκ ἀποδέουσα, μεγάλων ἐπιλαβομένη καὶ φιλανθρώπων ἀκροατηρίων, ὡς πνεῦμα τὴν πόλιν ἠχῆς ἐνέπλησε* [2]).

Tantam vim disputationis, qua in vario dicendi genere tres illi philosophi excellebant, admirata Romana juventus vehementi eloquentiae amore exarsit. Quem neque intempestiva senum auctoritas neque subitus philosophorum discessus exstinguere aut impedire potuit [3]). Testis est

---

rum magistrorum reprehensionem contineri perperam videtur existimare. Cf. Heynius Opuscc. IV. p. 426.

[1]) Suet. De Cl. Rhet. 1. Gellius XV. 11. ubi, frustra tuente Gronovio, perperam additur: de Rhetoribus *Latinis*. Retinuit etiam Clinton Fast. ad a. 161. Cff. Heynius l. l. p. 425. Ellendt Prolegg. l. p. 14.

[2]) Plut. Cat. Maj. 22. Cic. de Orat. II. 37. Quint. XII. 1. (35). Gellius VII. 14.

[3]) De Orat. I. 4. *Ac primo quidem totius rationis ignari, qui neque exercitationis ullam viam, neque aliquod prae-*

historia. Gracchis in gremio matris educatis, praepositos Graecos magistros videmus; ac Tiberius quidem cum alios exquisitos, tum Graeciae temporibus illis disertissimum virum, Diophanem Mitylenaeum, adolescens audivit [1]. Parem Graecis literis imprimisque eloquentiae studiis operam dedit, sed dissimulavit Crassi aetas. Nam quum antiquiores multi, item Rutilius Rufus, Catulus, Metellus Numidicus [2], alii, non abhorruissent ab iis, tinctus iisdem Antonius putaretur [3], tum Crassum ita imbutum Graecorum artibus institutumque constabat, ut eloquentia ejus exemplo ceteris summaeque admirationi esset. Athenis audivit peritissimos dicendi philosophos, amicum habuit Asclepiadem, postea Romae dicendi magistrum, calluit autem Graecam linguam, tanquam aliam non nosset [4].

Patet ex hisce, Graecorum eruditionem, invito populo Romano, invaluisse sensim Romae et prudenter ad excolendam principum virorum adolescentiam adhibitam esse. Sed eam, quippe adscititiam, multi semper contemserunt, alii tanquam periculosam juventuti, aspernati sunt. Quapropter ii ipsi, qui in oculis civium, in forensi luce, in causarum varietate habitabant, liberalioris institutionis, qua sive in Graecia sive Romae fructi essent, opinionem a se removere conabantur, ut non tam docti variis arti-

ceptum artis esse arbitrarentur, tantum, quantum ingenio et cogitatione poterant, consequebantur. Post autem, auditis oratoribus Graecis, cognitisque eorum literis, adhibitisque doctoribus, incredibili quodam nostri homines studio flagraverunt.

1) Cic. Bruto 26. 27. 58. Plut. Tib. Gracch. 8. 17. 20. Strabo p. 918.

2) Cic. l. l. 30. De Orat. II. 7. III. 18. Pro Arch. 3. Ad Att. I. 16. Cf. Ellendt Prolegg. passim.

3) De Orat. I. 18. II. 12. 36. Quint. XII. 9 (5).

4) Cic. l. l. I. 13. 20. II. 1. Plinius Hist. Nat. XXV. 2. XXVI. 3. Clinton Fastis Vol. II. p. 545.

bus eruditique viderentur, quam a reipublicae usu civilique vita prudentiam consecuti. Necesse igitur erat, ut domesticâ disciplinâ instituerentur, qui ad gerendam rempublicam causasque agendas vellent proficere. Tradebatur autem haec disciplina in Grammaticorum ludis; Grammatici enim veteres etiam Rhetoricam docebant, et utramque artem scriptis excoluerunt [1]). Hi erant ludi, in quibus, edicente Crasso, majores liberos suos discere, in quos itare voluissent [2]). Conjungebantur ibi cum literarum notitia, cum poeseos historiaeque Latinae expositione institutionum oratoriarum genera quaedam, futuris oratoribus necessaria [3]). Sic accipimus Persium, hominem literatum, suaeque aetatis doctissimum, sententiâ nonnullorum, orationes scripsisse Fannio, C. filio [4]); Aurelium Opilium primum philosophiam, deinde Rhetoricam, novissime Grammaticam docentem, cum Rutilio Rufo exsule Smyrnae consenuisse [5]); Metelli Numidici, item exsulis, comitem fuisse Aelium Stilonem [6]). Latissime igitur initio Grammaticorum munus patuit. Postea demum, discretis professionibus, sui utrique arti fines sunt constituti [7]).

Extremis scilicet Crassi temporibus exstitit genus istud magistellorum, de quibus Crassus apud Ciceronem [8]): „Rerum est sylva magna, quam quum Graeci jam non tenerent, ob eamque causam juventus nostra dedisceret

---

[1]) Suet. De Ill. Gr. 4.
[2]) Id. De Cl. Rhet. 1. Non puto probandam Ellendtii opinionem, ludos illos, a Crasso significatos, literarios ad Etruscam disciplinam referentis. Prolegg. p. 14.
[3]) Cf. Bernhardy Op. l. p. 23.
[4]) Cic. Bruto 26. De Orat. II. 6.
[5]) Suet. De Ill. Gr. 6. Symmach. Epist. I. 22.
[6]) Suet. l. l. 3.
[7]) Id. l. l. Quint. Inst. Or. Prooem.
[8]) De Orat. III. 24.

paene discendo, etiam Latini, si Dis placet, hoc biennio magistri dicendi exstiterunt: quos ego censor edicto meo sustuleram; non quo — ut nescio quos dicere ajebant — acui ingenia adolescentium nollem, sed contra ingenia obtundi nolui, corroborari impudentiam. Nam apud Graecos, qui ejusmodi essent, videbam tamen esse praeter hanc exercitationem linguae doctrinam aliquam et humanitatem dignam scientia; hos vero novos magistros nihil intelligebam posse docere, nisi ut auderent. — Hoc quum unum traderetur, et quum impudentiae ludus esset, putavi esse censoris, ne longius id serperet, providere." Hinc et de Graecis magistris, qui tum Romae docebant, et de Latinis Rhetoribus existimare licet. Fuerunt hi re vera sophistae [1]), e Gallia et aliunde advenae, libertini generis homines, nulla doctrinae laude conspicui, audaces, impudentes, lingua praesertim exercitatissimi. Num e Massiliensium scholis exstiterint, etsi probabile est, tamen non certo licet affirmare [2]). In censorio edicto dicuntur in eorum ludis *homines adolescentes totos dies desidere* [3]). His verbis spectatur disciplinae genus, ab acie forensi remotum, scholae solitudini conveniens, ad obscuranda ingenia quam ad explicanda et exercenda aptius. Quod cujusmodi esset, aliquo modo intelligitur e Quintiliano, qui, exposita ratione, qua veteres dicendi facultatem ex-

---

[1]) Athen. Deipnos. XIII. 92. *Ῥωμαῖοι δὲ οἱ πάντα ἄριστοι ἐξέβαλον τοὺς σοφιστὰς τῆς Ῥώμης, ὡς διαφθείροντας τοὺς νέους. ἔπειτ᾽ οὐκ οἶδ᾽ ὅπως κατεδέξαντο.* Malim enim haec ad censorium hujus temporis edictum referre, quam ad SCtum de philosophis et rhetoribus supra p. 28. laudatum.

[2]) Vid. Johannsen Diss. de vetere Massilia. Kiliae 1817. p. 99.

[3]) Suet. De Cl. Rhet. 1. Gellius XV. 11. Auct. Dial. de Oratt. 35. Heynius l. l. p. 430. Tiraboschi Op. l. III. p. 359. sqq.

colere solerent [1]): *Fictas, ait, ad imitationem fori consiliorumque materias apud Graecos dicere, circa Demetrium Phalerea institutum fere constat. An ab ipso id genus exercitationis sit inventum, parum comperi. — Latinos vero dicendi praeceptores extremis L. Crassi temporibus coepisse, Cicero auctor est: quorum insignis maxime Plotius fuit.* Hae quidem exercitationes Crasso vehementer displicebant, et desidiae plenissimae videbantur. Nec mirum. Quid enim viro, in adspectu civium versato, variis functo honoribus, in gerenda curandaque republica consenescenti, minus tolerabile esse poterat, quam ludos aperiri ab istis, qui quaestûs causa juventutem Romanam corrumperent, rerum speciem umbramque inani declamatione persequerentur, decantarentque fabellas discipulis, quum in ipsum rerum discrimen, in publicae vitae veritatem eos protrahere nullo modo possent. Hinc *hordearii* rhetoris appellatio repetenda, quam Plotio a Caelio tributam scimus, quod tanquam hordeo pastus et inflatus esset [2]). Plotius primus Romae ludum aperuit, et magna audientium corona floruit [3]). Plures brevi exemplum ejus imitati; omnes vero edicto Crassi censorio prohibiti sunt artem suam exercere; quam tamen post

---

[1]) Inst. Or. II. 4.

[2]) Suet. l. l. 2. Optime ad h. l. Casaub. — Ita Dinarcho cognomen fuit *Δημοσθένης ὁ κρίθινος*. Ruhnk. Opuscc. I. p. 348. Etsi autem Plotius a Suetonio in illustribus rhetoricae professoribus ponatur, tamen aequalium existimatione floruisse, nec Crassi, nec Varronis verba probant. Cf. Varr. Fr. p. 286. Bip. *Vinicius meus, quod apud Plotium Rhetorem bubulcitaret, alteri in dolore non defuit.* Cf. p. 289. Bubulcitare est, bubulci magis more, quam oratoris, declamare; vociferari.

[3]) Senec. Controv. II. Prooem. Cf. Ellendt Prolegg. l. p. 15. 86.

ejus mortem, quae mox secuta est, videntur repetivisse[1]). Viguit omni deinceps tempore Rhetorica docentium ac discentium frequentiâ, ac disjungi ejus disciplina a Grammatica, quacum arctissimo vinculo copulata fuerat, coepit [2]). Qui autem eam profitebantur, nullo honore ac humili plerumque loco erant, neque philosophos, qui ejus artis praecepta dederant, magnopere curabant; hospites certe erant in Aristotelis scriptis [3]). Deinde Augusto regnante Blandus Rhetor primus eques Romanus fuit, qui Romae doceret [4]). Ante illum intra libertinos praeceptores ars continebatur, et turpe erat docere quod honestum erat discere [5]). Exinde utilis honestaque apparuit, tantoque magis crevit gratiâ ac dignitate, quanto desperatior imperii Romani fortuna fiebat. Etenim prolapsis moribus, abolitâ disciplinâ, exstincta libertate, deserto foro, in scholarum obscuritatem tota recessit atque in vanam ludicramque abiit declamationem [6]).

CAPUT IV.

De L. Aelio et Serv. Claudio Grammaticis disquisitio.

De utriusque aetate ac vita non prorsus constat. Quamvis equites Romani et satis honesto genere or-

---

[1]) Auct. Dial. de Oratt. 35. Heynius l. l. p. 430.
[2]) Cic. Off. I. 37. Quint. II. 1. 5. Suet. De Cl. Rhet. 1.
[3]) Cic. Top. 1. *Quum ego te, Trebati, non tam vitandi laboris mei causa, quam quod id tua interesse arbitrarer, vel ut eos* (Aristotelis de Topicis libros) *per te ipse legeres, vel ut totam rationem a doctissimo quodam rhetore acciperes, hortatus essem: utrumque, ut ex te audiebam, es expertus. Sed a libris te obscuritas rejecit. Rhetor autem ille magnus, (haec) ut opinor Aristotelica se ignorare respondit.*
[4]) Seneca Controv. II. Prooem. cff. Ellendt. Prolegg. p. 15.
[5]) Seneca. l. l.
[6]) Suet. l. l. Auct. Dial. de Oratt. l. l.

ti [1]), rempublicam tamen non attigerunt, neque in foro ac luce populi versati sunt, sed docendis colendisque bonarum artium studiis aetatem consumserunt. Incidit autem haec in ea tempora, quibus doctrinae et eruditionis existimatio exiguam quandam laudem viris republica gerenda claris, munera autem publica detrectantibus vix ullam afferebat. Quamobrem non mirum est, etsi optime meruisse de literarum studiis videantur, parem his meritis gloriam ac celebritatem non consecutos esse. Omnem autem de utriusque rebus scriptisque notitiam Varronis ac Ciceronis potissimum diligentiae debemus, e quorum fontibus, quicunque postea eorum mentionem fecerunt, sua videntur hausisse [2]).

Lucius [3]) Aelius Lanuvinus fuit, ac duplici cognomine, Praeconinus et Stilo. Praeconinus ab eo dicebatur, quod pater ejus praeconium fecerat [4]). Honestum eo tempore

---

[1]) Suet. De Ill. Gr. 1. De utraque gente Aelia et Claudia cff. Reines. Ep. ad Hofm. et Rup. Ep. 48. Rupert. ad Pompon. Enchir. III. 4. Spanhem. de U. et P. N. F. II. p. 48. Borghesius Giornale Arcadico 1825 p. 101 sqq.

[2]) Praeterea ex recentioribus, qui de utroque viro scripserunt, nominandus est Carrio Lectt. Ant. I. 8. (Gruteri Fax Art. Liber t. III.). Cf. Hadr. Junius Animadv. VI. 11. Ceteros passim laudabimus. Mire autem fallitur Funccius De Vir. Aet. L. L. P. II. p. 150. Aelium Stilonem cum Aelio Gallo confundens. Cf. P. I. p. 313. 314.

[3]) *Lucii* praenomen ei fuisse, cum universe ex aliis locis intelligitur, tum evidentissime e Varrone de L. L. VIII. 81. Müll. *Quodsi Marcus Perperna virile est nomen et analogia sequenda, Lucius Aelia et Quintus Mutia virilia nomina esse debebunt.*

[4]) Suet. l. l. Plinius Hist. Nat. XXXIII. 1. (7). *Annuli distinxere alterum ordinem* (equestrem) *a plebe, ut semel coeperant esse celebres, sicut tunica ab annulis Senatum tantum: quamquam et hoc sero: vulgoque purpura latiore tunicae usos invenimus etiam praecones,*

Romae hoc munus videtur fuisse, certe non impedivit Granium, quo minus Crassi et Lucilii familiaritate floreret [1]. Praeterea Stilo cognominabatur, quoniam singularem conficiendis orationibus operam dabat; unde nobilissimi cujusque Romani, cui hoc scribendi officium praestabat, amicitiam consecutus est [2]. Annus quo natus est, quoque decessit, statui non potest. Haud levi tamen conjectura nititur argumentatio, ex qua circiter A. U. 620 (134 a. Chr.) natum existimemus [3]. Fuerit igitur aliquot annis Crasso junior. De obitu post dicemus.

---

sicut patrem L. Aelii Stilonis, Praeconini ob id cognominati. Cf. J. Kirchmannus de Annulis p. 124.

[1]) Cic. de Orat. II. 60. 70. Bruto 43. 46.

[2]) Suet. l. l.

[3]) Sequimur in his Nautae sententiam, quam prodidit in Comment. de Coelio Antipatro p. 8. not. (Ann. L. B. 1820—21). *Ut enim,* ait, *quae de Stilone memoriae sunt prodita, singula parum ejus aetati definiendae conducunt; ita ex iis inter se conjunctis et collatis non sine veri specie efficere mihi videor, eum natum esse circiter A. U.* 620. *Prius quidem nasci vix potuit: siquidem et Cottae orationem scripsit, quae lege Varia inscribitur, habitam A.* 664; *et aliis alias orationes, quas cum scriberet, apud eum Cicero fuit adolescens, ut ipse narrat Bruto c.* 56, *id est, opinor,* 21 *ferme annos natus, igitur A.* 668 *vel* 669. *In hos eum labores incubuisse non credibile est* 50 *annis majorem. Neque tamen multo post A.* 620 *natum esse colligitur ex comparata Lucilii aetate, qui Satiras ei inscripsit. Hic, quem A.* 620 *bello Numantino militasse refert Vell. II.* 9. *natus videtur circa A.* 600. *Jam neque Lucilium* 50 *annis majorem satiras scripsisse probabile est, neque Stiloni* 30 *annis juniori istud honoris amicitiaeque munus tributum esse; quorum tamen alterutrum factum sit necesse est, si majori quam* 20 *annorum intervallo amborum aetatem disjunctam statuamus.* Madvigius Aelium antiquiorem facit, quippe statuens, paene aequalem fuisse L. Attii, paulo aetate inferiorem. Attius autem

Aelium facetum hominem fuisse, suspicamur ex Plinii narratione [1]). Proditum est, Scipionem Aemilianum, quem postea Africanum dixerunt, quum tribunus in Hispania militaret, insigne fortitudinis exemplum dedisse. Ad Intercatiam, validum illius regionis oppidum, hostiles acies nihil molientes considebant. Quotidie tamen e barbarorum castris immani magnitudine miles, splendidis armis ornatus, obequitare solebat, et Romanos ad singulare certamen conviciis lacessere. Non tulit os hominis Scipio, quumque denuo saltatorio gestu prosilientem conspiceret, obviam iens eumque adortus profligavit [2]). Postea Intercatiensis hujus provocatoris filius, Romam, ut videtur, delatus, annulo, qui certaminis insculptam effigiem haberet, signatorio usus est. Ibi Aelius, miratus tantam stultitiam, quaerebat, quid tandem fuisset facturus, si Scipio a patre ejus interemtus esset. Mox festive dictum per civitatem increbuit. Hinc, si quid video, restituendum apud Ciceronem *Aelii* nomen in epistola ad Papirium Paetum [3]) ubi legi solet: *Te quum video, omnes mihi Granios, omnes Lucilios, vere ut dicam, Crassos quoque et Laelios videre videor. Moriar, si praeter te quemquam reliquum habeo, in quo possim imaginem antiquae et vernaculae festivitatis agnoscere.* Laelius nemo invenitur Crassi aequalis, neque de Laelio, Scipionis amico, sermo esse potest, qui *sapiens* dicebatur et de quo festivitatis nulla fama erat. Quare existimo hoc loco

---

natus erat, teste Hieronymo, A. U. 584. Libentius sane Nautae sententiam sequimur. Vidd. Madv. Opuscc. Acad. p. 90 not. 105.

1) Hist. Nat. XXXVII. 1. (4).

2) Polyb. XXXV. 4. 5. Appianus Hisp. 53. Liv. Epit. l. XLVIII. Vell. Pat. I. 12. Aur. Vict. Vir. Ill. 58.

3) Ad Div. IX. 15.

legendum esse: *Crassos quoque et Aelios*, ut similiter emendavit Orellius locum de Oratore [1]). *Tum Scaevola: Sane vellem, non constituissem in Tusculanum me hodie venturum esse L. Aelio*: ubi perperam *Laelio* vulgabatur. Eadem quoque ratio loci Pliniani [2]) videtur, ubi perperam, opinor, cum Scaevola Laelius componitur, quum *Aelius* probabiliter intelligendus sit, ut deinde nobis patebit [3]).

Praeter Scaevolae auguris, ejus qui libro primo de Oratore dicendi partes habet, amicitiam, familiaritate quoque Lucilii poetae Aelius usus est, qui ei priorem

---

[1]) I. ult. Cf. Orell. Opp. Cic. Vol. II. p. 586. Onom. v. *Laelius* p. 332.

[2]) Hist. Nat. XIV. 13 (15). Ne tamen quis putet, hoc Plinii loco et apud Cic. l. l. intelligendum esse *Laelium Felicem*, qui, teste Gellio XV. 27. libros ad Q. Mucium scripsit. Alium hunc Mucium esse, Scaevolis, quos juris praeceptores Cicero habuit, posteriorem, statuit Hugo *Lehrb. d. Ges. d. Röm. Rechts.* Ed. 11. p. 859. cf. 882. Sed credo Q. Mucium Scaevolam, Pontificem Maximum, a Gellio significari atque eundem esse, qui laudetur ab eo auctore III. 2. Quominus enim de eo suspicemur sermonem esse, qui Pomponio de Or. Jur. primus dicitur juris scientiam in gentem Muciam intulisse, impedit *Publii* praenomen, quo is distinguitur. Recte vero videtur Hugo l. l. Gellii verba cepisse, quum dicat, Laelium Felicem commentatum esse Scaevolae scripta de jure. Quo sensu non necesse est, aequales fuerint; contra, tanquam interpres Scaevolae, dudum post floruisse dicendus est Laelius Felix ac fortasse in Hadriani Imperatoris, ut placet Bachio *Hist. Jurisprud. Rom.* p. 414., aetatem ejus vita incidit. Quo circa errat Heimbachius *Disp. de Aelii Galli Fragmm.* p. 44. apud Plinium l. l. Aelio Stiloni Laelium Felicem praeferens, atque Mucii Scaevolae aequalem faciens. — Cff. Intt. ad Gell., Tirab. Storia Vol. II. p. 237.

[3]) Cff. Fragmm. dubiae auctorit. Fr. IX.

Satirarum librum dedicavit [1]). Sunt, qui simili benivolentiae amicitiaeque testimonio Aelium a Coelio Antipatro,

---

[1]) Auct. ad Her. IV. 12. *Quo in vitio* (inconcinnae trajectionis) *est Lucilius assiduus, ut hoc est in priore libro*

Has res ad te scriptas, Luci, misimus, Aeli.

Minus recte Ernest. Clave Cic. v. *L. Aelius*, dicit: ei Lucilius *libros* Satirarum inscripsit; namque de solo priore libro mentio fit. Fallitur idem, et cum eo Orellius, versum ab auctore laudatum frustra quaeri apud Dousam in Lucilii reliquiis, existimantes. Invenitur enim p. 25. Quaeri autem possit, quare, quum Lucilii triginta Satirarum libri ab auctoribus memorentur, Auctor ad Herennium *priorem* librum laudaverit. Mirum videtur accidisse Ernesto, qui l. l. *primum* librum, non redditâ causâ, edidit. Exstat quidem in Pithoeano cod. apud Burm. lectio *in primo libro*, verum discedunt ab ea omnes ceteri, videturque ab audaci librarii manu profecta. Itaque in eam sententiam inducor, ut putem ea aetate, qua scripti sunt libri ad Herennium, nondum in tot libros Satirarum opus Lucilianum distributum fuisse. De aliqua igitur priore, probabiliter de ipsius Lucilii divisione in duos libros, hic cogitandum erit. Quae ratio eo mihi magis probatur, quod certa quaedam ejus vestigia assecutus videor. Etenim e triginta libris duo sunt, quorum titulus indicatur, primus ac sextus decimus. Alter ab ipso exordio *Deorum concilium* vocatus, teste Lact. Div. Inst. IV. 3. cff. Servius ad Aen. X. 104. et Jul. Sabinus ad l. l. v. 18. De altero Porphyrion ad Horat. Od. XXII. 10. *Liber Lucilii decimus sextus* *Collyra* *inscribitur eo quod de Collyra amica sua scriptus sit.* Non nescio, locum Porphyrionis etiam sic legi: *Liber Sex. Decii Collyra inscribitur,* sed gravis est dubitatio, num vera sit; nam Sex. Decius poeta ne nomine quidem notus. Quare in lectione priore, quam Dousa habet in *Lucilii Reliq.* p. 56. cf. 98., prorsus acquiescendum videtur. Vid. Funcc. *De Adol. L. L.* p. 90. Suringar. *Hist. Crit. Scholiastt. Latt.* Vol. III. p. 19. et Add. p. 190. — Ex his autem haud inepte conjiciemus, bipartitum opus Lucilii fuisse, cujus utramque partem Grammatici in quindecim libros distribuerint.

Crassi magistro, ornatum putent, suspicati e Ciceronis *Oratore* [1], ubi corrigunt: „Et hic quidem (Coelius) qui hanc a *L. Aelio* (ad quem scripsit), cui se purgat, veniam utitur ea trajectione verborum, et nihilo tamen aptius explet, concluditque sententias.“ Nec sane quidquam obstare video, quominus idem nobis placeat. Significantur autem a Cicerone Coelii Annales sive Historiae Belli Punici.

Dicitur autem Aelius favisse optimatibus, et tam studiose eorum partibus adhaesisse, ut Metellum Numidicum in exsilium comitaretur [2]. Quod quidem ex illa historiae Romanae aetate et Metelli rebus explicari oportet. Postquam enim Gracchi legibus popularibus latis rempublicam perturbarunt, novae perpetuaeque seditiones secutae sunt, quibus salus publica periclitabatur. L. Apulejus Saturninus, turbulentus homo, fretus C. Marii auctoritate, tribunatum plebis sibi vindicavit. Uterque nobilitati inimicissimus, omnique machinatione vim ejus frangere et subvertere studens, communi odio Metellum persequebatur. In Numidico bello hujus legatus Marius fuerat, sed ambitiosus homo solus res gerere maximas et conficere bellum optabat. Quapropter invidia ductus, in-

---

[1] C. 69. Cff. Vossius *de Histt. Lat.* I. 8. Funccius *De Adol. L. L.* p. 210. Nauta et Groen van Prinsterer *Dispp. de L. Coelio Ant.* Ann. L. B. 1820—21. p. 8. et p. 28. Huic probabilior videtur vulgaris lectio *a Laelio,* quod altera destituta est codd. auctoritate. Sed quoniam Ant. August. et Aus. Popma in Fragmm. Histt. hanc tuentur, nihil autem de conjectura loquuntur, facile suspicamur, codices iis fuisse, in quibus ea exstaret. Vid. Krause. *Vitt. et Fr. histt. Rom.* p. 182. laudatus Orell. Onom. v. *Coelius Antip.*

[2] Suet. l. l.

sidias ei paravit [1]). Privatam in eundem iram Apulejus susceperat, postquam ipsum et Servilium Glauciam, improbissimum hominem, consiliorumque socium, Censor Senatu movere conatus erat [2]). Sed multo magis irascebatur, quum L. Equitium Firmanum, profugum ex compedibus et ergastulo hominem, qui T. Gracchi se filium jactabat, tribunatus socium sibi expetens, et in Censoris tabulas referri ejus nomen cupiens, fortissime resistentem Metellum haberet. Hic enim censu prohibuit alieni nominis simulatorem, non oportere dicens, clarissimae familiae ignotas sordes inseri [3]). Qua voce in seditionem coacta multitudo non solum extemplo Metellum obruere lapidibus conatus est, sed etiam mox Equitium, a Mario in publicam custodiam ductum, convulsis carceris claustris, libertati restituit humerisque suis tanquam germanam Gracchorum prolem summa animorum alacritate portavit [4]). Saturninus autem Censorem, qui se ad vitandum populi furorem in tutum receperat, protractum domo, atque in Capitolium aufugientem, armata multitudine obsedit. Quem tamen equites Romani, edita ante Capitolium caede, mox liberarunt periculo. Tum idem tribunus, assiduae seditionis auctor, frumentarias et agrarias leges ferre, ut Marianorum militum et populi gratiam iniret. Tulit eas per vim, addiditque senatus juraret, se, quidquid scivisset populus, comprobaturum, qui recusaret, Senatu moveretur. Perculsi patres populi metu jurarunt, Metellum, idem ut faceret, obsecrantes. Metellus vero, *βέβαιος ἀνὴρ, καὶ τὴν ἀλήθειαν ἀρχὴν μεγάλης ἀρετῆς ἡγούμενος,*

---

[1]) Sall. B. Jugurt. 46. et 65. Plut. Mario 28.
[2]) Appian. B. Civ. I. 28.
[3]) Hinc *insitivus* appellatur a Cic. pro Sextio 47. cf. pro Rabir. perd. 7. Aur. Vict. Vir. Ill. 62.
[4]) Val. Max. III. 2, 18., 8, 6. IX. 7, 1. 2., 15, 1.

placide negavit se in legem, non jure rogatam, juraturum paratumque se tulit ad omnem furoris popularis vim perferendam. Discedens foro, disserebat cum suis, affirmabatque, *ὡς τὸ κακόν τι πρᾶξαι, φαῦλον εἴη· τὸ δὲ καλὸν μὲν, ἀκινδύνως δὲ, κοινόν· ἴδιον δ᾽ ἀνδρὸς ἀγαθοῦ τὸ μετὰ κινδύνων τὰ καλὰ πράσσειν.* Proximo die, jubentibus Saturnino et Glaucia, e curia vi trahitur; illi de ejus exsilio rationem ineunt; concitata plebe legem ferunt ut solum vertat, Consules ei aqua et igni interdicant, vetetur, ne quis tecto eum recipiat. Quum amici et optimates vitam Metelli in periculo versari viderent, occulte armati comitabantur; ille vero laudata eorum voluntate, bono animo eos esse jussit; neque enim se commissurum, ut sui gratia in discrimen patria vocetur, sibi propositum esse in exsilium sponte abire; sedatis rebus et ordinatis, fore ut poenitentiâ ducti cives ipsum domum revocent; in eodem vero statu manentibus, praestare, ut perpetuo absit. Itaque exsul abiit, invitissimis bonis omnibus [1]).

Haec viri, consiliorum sanctitate et constantia spectatissimi, fata persecuti sumus, ut pateret inde, quid de L. Aelio Stilone, exsilii comite, existimandum nobis esset. Eas uterque partes in republica probavit, quas optimum quemque, ne malivolorum consiliis pessumdaretur civitas, unas maxime amplecti ac defendere decebat. Quodsi reputamus, quibus laudibus tum alii, tum praecipue Cicero Metelli memoriam commendet, nec vereatur cum consulatu suo censuram ejus comparare [2]), intelligimus, quo

---

[1]) Plut. Mar. 29. Appian. B. C. I. 29. sqq. Cic. pro Planc. 36. Liv. Epit. 69. Flor. II. 16. Oros. V. 17. Cf. Schlosser. Univ. hist. Uebers. II. 2. p. 319. Ellendt. Proll. p. 57. sqq.

[2]) In Pison. 9. Pro Planc. 36. Pro Sextio. 16. 62. Ad Div. I. 9.

spectet laudatio Aelii, quem *virum egregium et equitem Romanum cum primis honestum* appellat [1]. Sed non optima tantum voluntate Aelius nobilium causam tuitus est, re etiam consiliisque adjuvit. Atque hinc potissimum repetendam existimo consuetudinem scribendarum orationum, cujus propositi ratio eo praesertim valebat, ut perniciosis malorum conatibus resisteret. Semper enim nobilitatis studiosus, causam ejus adversus popularem factionem, numero et auctoritate invalescentem, tuitus est. Ex iis, quos orationibus instruxit, nominantur *Q. Servilius Caepio*, equestris ordinis propugnator, Saturnini adversarius [2]: *C. Aurelius Cotta*, in quo magnam spem optimates dignitatis suae jam tum, cum tribunatum peteret, collocabant; qui quum per invidiam depulsus eo munere et lege Varia reus factus esset, in eo discrimine Aelii patrocinio est usus [3]: *Q. Pompejus Rufus*, Crassi, Antonii et Scaevolae Auguris familiaris [4], probabiliter idem, qui rogationem de reditu Metelli Numidici promulgavit [5]. Postea Consul P. Sulpicio Rufo, perniciosas leges promulganti, et intercedenti ne exsules revocarentur, adversatus est [6].

Hoc sane suscipiendo munere omnino non expers fuit reipublicae sed egregie profuit, dignusque fuit, qui a Metello coleretur [7]. Eo igitur postquam res pervenerat,

---

[1]) Bruto 56.
[2]) Bruto l. l. Auct. ad Her. I. 12.
[3]) Bruto l. l. De Orat. I. 7. III. 3.
[4]) Cic. De Orat. I. 37.
[5]) Oros. Hist. V. 17.
[6]) Appian. B. C. I. 55. sqq. Liv. Epit. 77. Vell. Pat. II. 18. 19. Flor. III. 21. 6.
[7]) Exstat apud Frontonem locus (p. 46. Niebuhr.) ubi Aelii mentio fit: *Quid tale M. Porcio aut Quinto Ennio aut C. Graccho aut Titio* (fort. *Titinio*, cui comicus

ut Saturnini, Glauciae aliorumque conjuratione Metellus de vita dimicaret, fortissimo hujus consilio probato, ejusdem calamitatis societatem subire Aelius maluit, quam salvus in civitate manere. Navigarunt Rhodum, ibique legendo et magnis audiendis viris a tristi temporis praeteriti recordatione avocabantur [1]). Mox iis conciliatus Metellus, eximio honore ac benevolentia floruit, philosophiaeque potissimum se applicuit [2]). Fortasse Posidonium, a longinquo itinere reducem [3]), honoribus fungentem et scholâ clarum, audiverunt. Floruit eodem tempore Rhodi Apollonius Alabandensis, summus eloquentiae magister, cognomine μαλακὸς; quem anno post Scaevola praetor convenit, et de dicendi ratione disserentem magno-

vetus Varroni et Festo laudatur) *poetae, quid Scipioni aut Numidico, quid M. Tullio tale usu venit? quorum libri pretiosiores habentur, et summam gloriam retinent, si sunt (descripti a) Lampadione, aut Staberio..... vi, aut (Tirone), aut Aelio..... aut Attico, aut Nepote.* Ni fallor, est Aelius Stilo, quem Majus cogitavit; cujus manu Metellus Numidicus orationes suas describi voluit, ut accuratiores prodirent. Benivolentiae sane in his significatio est.

[1]) Liv. Epit. 69.

[2]) Plut. Mario 29. *Ἀλλὰ γὰρ ὅσης μὲν ἀπέλαυσεν εὐνοίας παρὰ τὴν φυγὴν καὶ τιμῆς Μέτελλος, ὃν δὲ τρόπον ἐν Ῥόδῳ φιλοσοφῶν διητήθη, βέλτιον ἐν τοῖς περὶ ἐκείνου γραφομένοις εἰρήσεται.* Dolendum magnopere, deperditam Metelli vitam esse, unde plurima ad Aelii instaurandam memoriam haurire potuissemus. Servatum autem nobis est epistolae, quam exsul Metellus scripsit, fragmentum a Gellio XVII. 2. „Q. Metellus Numidicus, qui caste pureque lingua usus Latina videtur, in epistola, quam exsul ad Domitios misit, ita scripsit: *Illi vero omni jure atque honestate interdicti: ego neque aqua neque igni careo, et summa gloria fruniscor.*"

[3]) Probabile est, Posidonium, Athenis, mortuo Panaetio circa 112 a. Chr. profectum, hoc tempore (100 a. Chr.) Rhodi fuisse. Cf. Bakius Disp. de Posid. p. 8. sqq.

pere laudavit [1]). Variorum igitur sermonum, eruditaeque consuetudinis particeps fiebat Aelius ac deinde in Asiam proficiscentem comitatus est Metellum. Smyrnae hic alterum exsilii tempus videtur transegisse [2]), unde quum se recepisset Tralles, ludosque, qui ibi edebantur, spectaret, literae ei redditae quibus scriptum erat, maximo Senatus et populi consensu reditum illi in Urbem datum. Quas cum legisset, laetitiam ita continuit, ut eam cum proxime sedentibus nulla ex parte communicaret, neque e theatro prius abiret, quam spectaculum editum esset [3]). Inde Romam, unde biennium abfuerat, cum Aelio revertentem, tanta amicorum corona ad portam urbis praestolata dicitur, ut integer dies vix gratulantibus sufficeret [4]).

Ab hoc inde peregrinationis tempore quamdiu Aelius in vivis fuerit, non licet affirmare. Floruit sane adolescente Cicerone, ut ex hujus Bruto apparet [5]). Quo autem tempore hic liber edebatur [6]), diem jam obierat; namque fit ejus, ut mortui, mentio. In Academicis vero [7]), quae anno proximo prodierunt, sic ejus obitus a Varrone deploratur, ut non admodum recens putandus sit.

Si vera est emendatio loci in libro primo de Oratore [8]), re satis lauta fuit L. Aelius; quippe multorum principum

---

[1]) Cic. de Or. I. 16. 28. Strabo. XIV. §. 13. Clinton Fastis ad a. 88.

[2]) Aur. Vict. Vir. Ill. 62. Non est causa, cur dubitemus cum interpretibus de Aurelii verbis. Nam si constat, Metellum Trallibus rediisse Romam, probabile est intermedio tempore Smyrnae eum exsulasse.

[3]) Aur. Vict. l. l. Val. Max. IV. 1. 13.

[4]) App. l. l. 33. Liv. l. l. Vell. II. 15. Diod. Sic. De Virt. et Vit. p. 609. Cf. Clinton Fast. ad a. 99.

[5]) C. 56.

[6]) A. Chr. 46.

[7]) I. 2.

[8]) Cf. sup. p. 37.

virorum instar villam in Tusculano habuit, in quam otiandi causa amicos invitabat. Multitudine igitur servorum opus erat, ut et res familiaris administraretur, et servaretur ordinis equestris decus. Moris autem erat, servos non solum alere, sed etiam, quotquot ingenio et industria videntur excellere, honestius educare atque instituere literis, ut possent majorem dominis operam praestare. Horum conditio tanto melior ceteris erat, quod manumitti solebant. Non igitur vana suspicio est, L. Aelium istiusmodi libertos habuisse, quibus in studiis uteretur, unumque a Cicerone memorari: „Pueris nobis, inquit [1], audisse videor, L. Aelium, libertinum hominem, literatum ac facetum, quum ulcisceretur patroni injurias, nomen Q. Muttonis, hominis sordidissimi, detulisse. A quo quum quaereretur, quam provinciam aut quam diem testium postularet; horam sibi octavam, dum in foro bovario inquireret, postulavit."

Aelii gener fuit Servius Claudius, eques Romanus. Vocatur a Suetonio et Plinio Clodius, a Cicerone ceterisque Claudius [2], et distinguendus est a Sexto Clodio rhetore, Antonii magistro [3]. Perexiguum est, quod de ejus vita constat, nec valde honorificum. Soceri enim librum quendam, nondum editum, fraude intercepit; quapropter repudiatus, pudore ac taedio secessit ab Urbe, atque in

---

[1]) Pro Scauro 23. Cff. Beier Cic. Oratt. Fragmm. Lips. 1825. p. 173. 285. et Heinrich. ibi laud. Orell. Onom. Tull. v. *L. Aelius* p. 12.

[2]) Orell. Onom. v. *Clodia gens*. „Notat Borghesius in *Giornale Arcadico* p. 101. recentiorem esse scribendi rationem *Clodius* pro *Claudius*, eamque a Marcellis nunquam usurpatam."

[3]) Suet. Cl. Rhett. 5.

Graeciam, ut videtur, se contulit. Incidit autem in gravem podagrae morbum: cujus impatiens, veneno sibi perunxit pedes, et enecuit ita ut parte ea corporis quasi praemortua, miseram vitam duceret [1]). Diem obiisse videtur a. Chr. 60, multos libros Graece Latineque scriptos in Graecia relinquens, quos Ciceroni donavit L. Papirius Paetus, qui dicitur Servii frater; nempe affinitate conjunctus [2]). Magni hos a Cicerone habitos, patet ex epistola ad Atticum, cui in Graecia degenti curam eorum commendat [3]): „Quum mihi, ait, per legem Cinciam licere capere Cincius, amicus tuus, diceret, libenter dixi me accepturum, si attulisset. Nunc, si me amas, si te a me amari scis, enitere per amicos, clientes, hospites, libertos ac servos tuos, ut scida ne qua pereat. Nam et Graecis his libris, quos suspicor, et Latinis, quos scio illum reliquisse, mihi vehementer opus est.“

---

[1]) Suet. Ill. Gr. 1. Plin. Hist. Nat. XXV. 3. (7.). *Tradit M. Varro, Servium Clodium, equitem Romanum, magnitudine doloris in podagra coactum, veneno crura perunxisse, et postea caruisse sensu omni, aeque quam dolore in ea parte corporis.*

[2]) Minus accurate Orell. Onom. v. *S. Clodius* p. 164. fratrem *patruelem* L. Papirii Paeti appellat. Nam, sive post repudium ipsi renuntiatum novas nuptias contraxerit cum Paeti sorore, sive Paetus in matrimonio habuerit Claudii sororem, certe ex affinitate, non ex agnatione fraterna conjunctio nasci potuit.—De obitu cff. Schneider Rei Rust. Scr. I. 2. p. 235. Abeken *Leitfaden zu Cic. Briefen, p.* 66.

[3]) Ep. I. .20. Cf. II. 1. *Paetus, ut antea ad te scripsi, omnes libros, quos frater suus reliquisset, mihi donavit. Si me amas, cura ut conserventur, et ad me perferantur. Hoc mihi nihil potest esse gratius, et quum Graecos, tum vero diligenter Latinos ut conserves velim.*

His ita de utriusque viri vita expositis, pergimus ad doctrinae laudem, qua proprie excelluerunt. Quemadmodum et a quibus instituti sint, plane in obscuro est. Dicuntur autem *multi ac varii et in doctrina et in republica usus fuisse* [1]. Hac duplici laude intelliguntur studia Grammaticae et Rhetoricae, in quarum disciplinam juventutem Romanam accipiebant. Num publicam scholam aperuerint, in quam mercede quivis admitteretur, merito dubitamus, quoniam a Suetonio non in illorum numerum referuntur, qui docendo famam sibi comparaverunt; in quibus princeps ab eo ponitur Saevius Nicanor [2]. Videntur sibi potissimum cultioris generis discipulos quaesivisse, quorum institutio eo valere deberet, ut vel ad gerendam rempublicam et ad vitam forensem, vel ad bonarum literarum studia praeparati accederent. Quapropter credo, ut satis facerent singulorum discipulorum indoli ac voluntati, diversis eos temporibus Grammaticam et Rhetoricam docuisse, quemadmodum M. Antonium Gniphonem instituisse, Suetonii verba declarant [3]. Ex Aelii discipulis duo maxime, sed e diversa disciplina viri, inclaruerunt, Varro et Cicero; illum in literis, hunc in dicendi ratione erudivit. Uterque quid de magistro retulerit, videbimus. Sed monent nos verba Suetonii, ut, quam supra exorsi sumus de Grammaticae studiis disputationem, hic jam prius absolvamus.

---

[1]) Suet. l. l. Cf. Suringar Op. l. Vol. I. p. 26. sqq.
[2]) L. l. 5.
[3]) L. l. 7.

Dicit enim Suetonius, *L. Aelium et Serv. Claudium ab omni parte Grammaticam instruxisse atque auxisse* [1]). Paucis his verbis multa ac magna comprehenduntur. Vidimus, quomodo a parvulis orta initiis, tenuis a fonte, sensim sensimque se explicuerit Grammatica, increverit aliquantum Graecorum studiis et imitatione, deinde a poetarum enarratione latius diffusa, omnem historiae eloquentiaeque campum perlustraverit. Sed studium magis fuerat, quam ars; nondum praeceptis regebatur, verum assiduitate docendi disciplinam quandam Grammatici constituerant, vagam et fluctuantem, quae ad certas leges revocari ac stabiliri debebat. Deerat autem, ut brevi complectar, quod quasi in recessu habebat Grammatica, rectum judicium et scribendi usus ac consuetudo. Ac scribendi quidem utilitas nulla apparere potuit, quamdiu incerta studia nullisque ordinata legibus erant. Grammatici generis liber nullus ante haec tempora memoratur, in materia autem Rhetorica primus ac solus e dicendi usu ac meditatione aliquid operis depromserat Cato Censorius [2]). Hoc autem omisso negotio, necesse erat, ut ad pauciores omnis doctrinae fructus perveniret, neque tantus exsisteret studiorum ardor, quantum scribendi cura attulit. Requirebatur igitur facultas critica, quae invaluit apud Romanos, quo tempore philosophiae Stoicae operam navarunt. Hujus studium cum dialecticae excolendae, tum constituendae Grammaticae imprimis profuit. Inquiri diligentius coepit in verborum origines, mutationes, et affinitates. E diligenti rerum temporumque inquisitione acrior observatio, ex hac autem sanius judicium, doctrina prae-

---

[1]) L. l. 2.

[2]) Quint. Inst. Or. III. 1. Cf. Bernhardy Grundr. d. Röm. Lit. p. 306. 325. sqq. Madvig. Opuscc. Acad. p. 87. sqq.

stantior efflorescebant. Nec jam Ennius, Pacuvius, Caecilius solam, in qua Grammatici elaborarent, materiam suppeditabant, sed antiquissimi aevi monumenta, quae vernaculo sermone scripta, diuturno situ obsoleverant, adhibito judicio explorabantur. In his Pontificii libri, Fasti, qui foedera et pactiones antiquas continebant, veterum imprimis legum codices. Hinc cognitio universae antiquitatis invaluit, paulatimque hominum studiis ex ipsis fontibus antiquis singularum rerum atque institutorum notitia eruebatur. In primis autem Grammatici de fide et auctoritate auctorum et carminum disquisitiones instituerunt, ac censoria quadam virgula versus notarunt, librosque, qui falso viderentur inscripti, tanquam subdititios submoverunt familiis. Quo munere judices poetarum fiebant Grammatici, studiorumque suorum fructus diligenter memoriae prodebant. Sic quidem Criticâ exortâ apud Romanos, variae partes, quibus Grammaticae studium constabat, in propriam artis formam redactae conjunctaeque sunt.

His laudibus primum inclaruerunt ambo, de quibus dicere instituimus, Grammatici. Servium Claudium brevissime Cicero, sed disertissime *literatissimum* appellavit [1]. Qua quidem voce omnia comprehenduntur, quae in praestanti Critico et Grammatico requiruntur. De L. Aelio vero crebrior mentio fit, ejusque res e discipulorum maxime testimoniis repetuntur. Ac Varro quidem, qui Cicerone senior, prior Aelio magistro est usus, ubivis eum celebrat pieque colit. Nam ad Ciceronem de lingua latina perscribens, dicit de eo [2]: *Aelius noster, literis ornatissimus;* appellat eum *hominem in primo in literis Latinis exercitatum* [3]. In Ciceronis autem Academicis idem

1) Epist. ad Div. IX. 16.
2) Gellius I. 18.
3) VII. 2.

Varro rogatus, cur philosophiam latinis literis illustrare cunctaretur, respondet [1]: „Totum illud philosophiae studium mihi quidem ipse sumo et ad vitae constantiam et ad delectationem animi, sed meos amicos, in quibus est studium, in Graeciam mitto, ut ea a fontibus potius hauriant, quam rivulos consectentur. Quae autem nemo adhuc docuerat, nec erat, unde studiosi scire possent, ea quantum potui (nihil enim magnopere meorum miror) feci ut essent nota nostris. A Graecis enim peti non poterant, ac post L. Aelii nostri occasum ne a Latinis quidem.“ Haec Varro de Aelio, de doctissimo praeceptore haud profecto indoctior, sed ingeniosior ac sagacior discipulus. Neque enim negandum, ita hunc illius vestigia persecutum, ut uberius prima Aelii inventa explicuerit, plusque judicii ad interpretationem singulorum locorum, quos ex omni antiquitate sibi tractandos sumsit, adhibuerit. Attamen non commisit, ut a quo primum institutus esset, acerbius notaret; contra, magna Aelii sui merita agnoscens ac jure suspiciens, non solum praecipuam semper et honorificam ejus mentionem fecit, sed ejus errores honestissime excusavit. Itaque Gellius, qui Aelium *doctissimum tunc civitatis hominem et eruditissimum* [2]) vocat, e libris rerum divinarum haec Varronis verba affert [3]): „In ratione etymologica L. Aelius, literis ornatissimus memoriâ nostrâ, erravit aliquoties. — In quo non modo Aelii ingenium non reprehendo, sed industriam laudo. Successum enim fortuna, experientiam laus sequitur.“ Idem Varro, postquam Aelianam carminum Saliorum interpretationem exiliter expeditam neque omnibus absolutam numeris dixit, potius laudi arduum viri institutum,

[1]) I. 2.
[2]) III. 3.
[3]) I. 18.

qui talem laborem non reformidasset, quam vitio vertit „De originibus“, inquit [1]), „verborum qui multa dixerit commode, potius boni consulendum, quam qui aliquid nequiverit, reprehendendum; praesertim cum dicat etymologice non omnium verborum dici posse causam: qui ostendit equitatum esse ab equitibus, equites ab equite, equitem ab equo, neque equus unde sit docet, tamen hic docet et plura et satisfacit grato; quem imitari possimusne, ipse liber indicio erit.“

Praeclare igitur et clementissime de magistro suo Varro judicavit. Neque parcius eundem Cicero laudavit; qui accuratius etiam et disertius viri merita persecutus est in Bruto [2]): „Fuit Aelius vir egregius, et eques Romanus cum primis honestus, idemque eruditissimus et Graecis literis et Latinis, antiquitatisque nostrae et in inventis rebus et in actis literate peritus: quam scientiam Varro noster acceptam ab illo, auctamque per sese, vir ingenio praestans, omnique doctrina, pluribus et illustrioribus literis explicavit. Sed idem Aelius Stoicus esse voluit, orator autem nec studuit unquam nec fuit.“

Habemus hic breviter expositam totius Aelianae doctrinae praestantiam. Non enim eruditionem tantum et variam cum Graecarum tum Latinarum literarum scientiam praedicat Cicero, sed etiam singularem interioremque antiquitatis Romanae cognitionem ei tribuit, quam ita perspectam habuisse docet, ut et in *inventis rebus,* quaecunque scilicet ad priscos populi mores et instituta, ad originem et incunabula artium, ad publicam privatamque disciplinam pertinerent, et in *actis,* quae historiis annalibusque continebantur, habitaret [3]). Accedebat autem ad

---

[1]) De L. L. VII. 4.
[2]) C. 56.
[3]) Cf. Bibl. Crit. Nova. Vol. I. p. 136.

hanc doctrinae copiam ingenii subtilitas et judicandi solertia, quam veterum scriptorum interpretationi adhibebat[1]). Huc praesertim valuit Stoicae philosophiae studium et in inventis placitisque ejus assidua exercitatio [2]). Hanc disciplinae Aelianae rationem secutus, Varro, lucubrasse se non solum ad Aristophanis Grammatici, sed etiam ad Cleanthis philosophi lucernam testatus est [3]).

Praeter Varronem Cicero ab Aelio institutus est. Verba sunt ejus in Bruto [4]): „Scribebat Aelius orationes, quas alii dicerent; ut Q. Metello F. [5]), ut Q. Caepioni, ut Q. Pompejo Rufo: quamquam is etiam ipse scripsit eas, quibus pro se est usus, sed non sine Aelio. His enim scriptis (etiam ipse) [6]) interfui, cum essem apud Aelium adolescens, eumque audire perstudiose solerem.“ Mirum sane, vix quemquam, cui curae esset de rebus Ciceronis commentari, advertisse hunc locum, qui alicujus certe in vita ejus literata pretii est. Illustrari enim inde puto, quae in Bruto referuntur [7]): „Q. Pompejus A. F. qui Bithynicus dictus est, biennio, quam nos, fortasse major, summo studio dicendi, multaque doctrina, incredibili labore atque industria: quod scire possum. Fuit enim mecum, et cum M. Pisone, quum amicitia, tum studiis, exer-

1) Optime Ern. Cl. Cic. *literate peritus* interpretatur: more et subtilitate Criticorum.

2) Nescio quid causae moverit Müllerum, ut Zenonem tam Aelii quam Varronis in Stoicis magistrum haberet ac teste uteretur Cic. Bruto c. 56, 206. Cf. Praef. ejus ad Varr. De L. L. p. VI. Similiter nullo argumento Aelium Metelli Numidici magistrum facit Ellendt. Prolegg. p. 59.

3) L. L. V. 9.

4) C. 56.

5) Intelligi video Q. Caecilium Metellum Nepotem, Balearici filium. Cff. Ellendt ad h. l. Orell. Onom. in voce.

6) Uncis haec verba inclusi, quod errore e superioribus videntur repetita.

7) C. 68.

citationibusque conjunctus." Alio loco [1]): „Diodoto doctori et ejus artibus variis atque multis, ita eram tamen deditus, ut ab exercitationibus oratoriis nullus dies vacuus esset. Commentabar declamitans (sic enim nunc loquuntur) saepe cum M. Pisone, et cum Q. Pompejo, aut cum aliquo quotidie; idque faciebam multum etiam Latine, sed Graece saepius: vel quod Graeca oratio plura ornamenta suppeditans, consuetudinem similiter Latine dicendi afferebat; vel quod a Graecis summis doctoribus, nisi Graece dicerem, neque corrigi possem, neque doceri."

Verisimile hinc fit, Ciceronem, quem utpote natu minorem, ad M. Pisonem pater ideo deduxerat, quod in eo et antiquae vitae similitudo et multae erant literae [2]), exercitationes oratorias, praeside Aelio, cum aequalibus instituisse, ita ut Aelius Latinas, quemadmodum Graecas Philo [3]) et Molo [4]), moderaretur. Cum hac autem declamandi consuetudine haud dubie praeceptio rhetorica erat conjuncta, ut a Gniphone, qui nonnisi nundinis declamabat, quotidie vero praecepta eloquentiae tradebat, institutum accipimus [5]). Quamvis autem orator non esset Aelius, tamen, ut vidimus, praestabat operam foro. Nobiles enim Romanos in causis agendis adjuvabat, et vel ipse in eorum gratiam orationes scribebat, vel ad eas scribendas pronuntiandasque praeceptis instituebat, si qui sua vellent opera uti. Ac videtur quidem eo tempore Romae more receptum fuisse, alienae curae scribendi officium committere, aut alieno auxilio uti, etiam si quis ipse haud absurdus orator existimaretur. Cujus rei Cotta exemplo est.

---

1) C. 90.
2) Ascon. in Pisonianam §. 62.
3) Cic. Tusc. II. 3.
4) Bruto 89. 90.
5) Suet. Ill. Gr. 8.

Is enim summus ipse orator, minimeque ineptus, ut affirmat Cicero, Aelianas leves oratiunculas voluit existimari suas; quarum una memoratur, lege Varia inscripta, quam scripsit Aelius Cottae rogatu [1]. Alia item nominatur, quam Caepioni idem contra T. Betucium Barrum confecit [2]. Ceterum e cognomine *Stilone,* quantam operam et diligentiam in hoc scriptionis genere posuerit, optime effici potest.

Restat, ut de scriptis eorumque genere et argumento dicamus. Suetonii verba [3]: *Instruxerunt auxeruntque ab omni parte Grammatica L. Aelius et Ser. Clodius,* non solum disciplinam scholae, sed etiam scribendi diligentiam declarant. De Ser. Claudii libris tum Graecis, tum Latinis, supra vidimus, patuitque nobis e Ciceronis epistolis, quanta ei esset illorum exspectatio, postquam Papirii Paeti rescivisset donationem [4]. Idem de Aelio testatur Varro, qui in iis, quae supersunt, scriptis, ita utitur Aelii auctoritate, ut quae ab eo usurpat, partim e viri scriptis, partim ex disciplina hausisse putandus sit. Aliquoties enim hoc utitur: *dicebat Aelius, putabat Aelius* [5], sed saepius: *ait, scribit Aelius* [6]. Quod autem egregie emendato loco in libris de Oratore [7] *Aeliana studia* memorantur, referri illa ad Aelium Stilonem debere, viri docti suspicati sunt. Neque immerito. „Nam, sive quem“, ait Crassus, „Aeliana studia delectant, plurima

---

1) Cic. Bruto. 56.
2) L. L. 46.
3) L. l. 2.
4) P. 46.
5) De R. R. III. 12. De L. L. V. 66. 101. VI. 7.
6) De L. L. V. 18. 21. Gellius I. 18.
7) I. 43. Madvigii conjectura. Vid. Orell. Onom. Tull. p. 10. v. *Aeliana studia.*

est in omni jure civili, ut in Pontificum libris et in XII tabulis [1]), antiquitatis effigies, quod et verborum prisca vetustas cognoscitur, et actionum genera quaedam majorum consuetudinem vitamque declarant." Interpretari quidem posses, *studia Sex. Aelii,* juris peritissimi, quem, summis laudibus celebratum a Cicerone aliisque, jus Aelianum condidisse constat, et interpres XII laudatur [2]), verum ad exhortationem juventutis efficacius sane L. Aelium, suae aetatis virum, Crassus commendasse et exempli loco videtur proposuisse.

Ex his universe patet, scribendi opere utrumque Grammaticum non abstinuisse. Sed luculentiora testimonia habemus, quippe operum titulos nonnullos, ab antiquis servatos, et fragmenta ex iis desumta. Primum igitur de Aelii reliquiis agemus. Fragmenta ejus maximam partem incertae sedis sunt, tantumque affirmari licet, pertinere ea ad varios antiquitatis Romanae locos. Hanc enim Aelius primus explicare literis aggressus est, ut patere vidimus ex Varronis apud Ciceronem verbis: *quae autem nemo adhuc docuerat, nec erat, unde studiosi scire possent, ea, quantum potui, feci, ut essent nota nostris: a Graecis enim peti non poterant, ac post L. Aelii nostri occasum ne a Latinis quidem.* Quibus respondet Cicero: *Sunt ista, Varro: nam nos in nostra urbe peregrinantes errantesque, tanquam hospites, tui libri quasi domum deduxerunt, ut possemus aliquando, qui et ubi essemus, agnoscere* [3]). Significabat igitur Varro libros

---

[1]) Constitui locum de Eichstädtii conj. ap. Orell. Cic. Opp. II. 1. p. 586.

[2]) De eo cff. Cic. de Orat. I. 45. 48. De Legg. II. 23. Bachius Op. l. p. 236. Suringar Op. l. I. p. 36. sqq.

[3]) Acad. I. 3. Perperam inde, corrigente Orell. Onom. v. *Aelius,* Ernestus *de philosophia* Aelium scripsisse effe-

suos de antiquitate Romana, et conquerebatur Aelii mortem, qua inchoata illa studia et ab eo auctore literis mandari coepta, aliquamdiu deserta jacuissent, donec ipse ea latius persequi instituisset. Sed dubium videri potest, num hoc ipso titulo *antiquitatum* libros insigniverit Aelius. Mihi quidem totius loci ratio persuadet, viam praeivisse eum ceteris, qui secuti sunt, antiquitatis Romanae investigatoribus; versatum iccirco potissimum esse in recludendis illius studii fontibus, perscrutatum antiquissima veteris aevi monumenta, eaque grammatice et critice interpretari conatum, ut aditus ad rerum cognitionem, patefactis verborum significationibus, et enucleato sensu, pararetur.

Hoc quidem proposito scripsit interpretationem Carminum Saliarium, de qua Varro [1]): „Ut in soluta oratione, sic in poematis verba non omnia, quae habeant ἔτυμα, possunt dici. Neque multa ab eo (eruentur), quem non erunt in lucubratione literae prosecutae, multum licet legerit. Aelii, hominis in primo in literis Latinis exercitati, interpretationem carminum Saliorum videbis et exiliter [2]) expeditam et praeterita obscura multa. Nec mirum, quum non modo Epimenides post annos L experrectus a multis non cognoscatur, sed etiam Teucer Livii post annos XV ab suis qui sit ignoretur. At hoc quid ad verborum poeticorum aetatem? quorum si Pompili regnum fons in carminibus Saliorum, neque ea ab superioribus accepta, tamen habent DCC annos.“ Hinc intelligitur, quam operosa et ardua hujus susceptio operis

cit. Vid. Ern. annot. ad l. l. Sed errorem suum videtur agnovisse; in Clav. enim *de antiquitate Romana* Aelium scripsisse memorat. Cff. Bernhardy Op. l. p. 325. Suringar Op. l. I. p. 41.

1) De L. L. VII. 2. 3.

2) Vulgo *exili litera.* Sed vid. lect. variet. ap. Spengel.

esset, quum Saliorum carmina Quintiliani tempore suis vix sacerdotibus essent nota [1]).

Pariter videtur Aelius in iis fontibus, e quibus jus sacrorum petendum erat, versatus. Gravis hic imprimis antiquitatis Romanae locus erat, quem Varronis deinde diligentia tantumnon videtur explevisse. Multa fragmenta, quae passim inveniuntur, res sacras spectant, et Aelii in hoc genere studium testantur. Etiam Crassi verba de studiis Aelianis huc pertinent [2]); ea enim commendans, praeter XII tabulas, *Pontificum libros* memorat, in quibus antiquitatis effigies eluceat. Quare arbitror, eum peculiari opere in illum locum commentatum esse et obscuriora illustrare studuisse. Confirmat hanc opinionem Festus v. *molucrum;* ubi: „Cloatius etiam in libris sacrorum molucrum esse ajunt lignum quoddam quadratum, ubi immolatur. Idem Aelius in explanatione Carminum Saliarium eodem nomine appellari ait, quod sub mola supponatur." Legendum ibi videtur [3]): *Cloatius etiam et Aelius in libris sacrorum* —. Sic demum verba Pauli: *Idem Aelius* — optime conveniunt superioribus. Duplicem igitur Aelius vocabulo *molucrum* significationem tribuebat, ita ut in Saliorum carminibus et in re sacra diversa notaret. Quum vero hi Aeliani de sacris libri conjectura

---

1) Inst. Or. I. 6. et 10. Horatius Epist. II. 1. v. 86.
Jam Saliare Numae carmen qui laudat et illud,
Quod mecum ignorat, solus vult scire videri.
Cff. quae de Aelio carminum Saliarium interprete habet Suringar. Op. l. p. 28. 29. Vid. Tob. Guthberlethus *de Saliis* Franeq. 1706, qui carminum Saliarium reliquias collegit; Christ. Lud. Crellius, *de Saliaribus Carminibus* Witteb. 1732; Nic. Reich *De Saliis,* Hafniae 1737.

2) De Orat. I. 43.

3) Quam lectionem exstare video in annot. marg. ad Festi Schedas p. 80.

tantum nitantur, non referemus eos in scriptorum numerum; neque fragmenta etiam, quae eo pertinere videantur, ne quid ex arbitrio fecisse accusemur, separatim edemus.

Certior res est de *duodecim tabularum interpretatione.* Habuerunt illae antiquiores interpretes, Sex. Aelium et L. Acilium, quibus tertius aetate accedit Aelius Stilo [1]). Quale pretium hujus interpretationi sit habendum, non licet affirmare. Nam, quod Cicero semel Aelianos commentarios laudat, eo non universi operis laudatio continetur, sed refertur ad unius vocabuli significationem, in qua quum superiores interpretes lapsi essent, Aelius verum viderat. Probabile tamen est, sua eum aetate doctius, suo vero ingenio illustrius de illis legibus commentatum esse, quamvis ex opera, quam postea alii Romani interpretes [2]) iisdem explicandis navarunt, satis pateat, aut praeteriisse eum plura, aut saepius in divinando sensu hallucinatum esse.

Cum hoc antiquitatis studio poetarum interpretatio conjuncta fuit. Hîc praecipue criticae facultatis laus eminuit, quippe in Plauti fabulis examinandis et in ordinem redigendis palmariam operam Aelius videtur navasse. Exstant de ejus in hujus poetae scripta meritis diserta Gellii testimonia. Penitus imbutus erat Plauti lectione, quam, teste Varrone, tam amabat et admirabatur, ut ejus sententiâ Musae Plautino sermone locuturae fuissent, si Latine loqui vellent [3]). Ac sincera quidem haec admiratio fuit, siquidem diligentiae, qua exploravit eum auctorem, non nocuit, sed acuit eam et rexit. Plauti fabulae eo jam

---

[1]) Cf. Suringar. Op. l. p. 30. sqq. 39. sqq.
[2]) V. c. Ser. Sulpicius, Antistius Labeo. Cf. Suringar l. l.
[3]) Quint. X. 1.

tempore corruptae erant et alienis sordibus inquinatae; has eluere studuit Aelius, tritas aures ad dijudicandum afferens, summeque in emendando cautus. Neque vero corruptela solum deformatae fabulae illae, verum pars ipsarum longe maxima suppostitia erat. Hic gravissimus error inde originem ceperat, quod praeter Plautum alius comoediarum poëta Plautius, illius quidem non aequalis, sed aliquo tempore posterior, floruerat. Cujus quoniam fabulae Plautî inscriptae essent, acceptas esse quasi Plautinas, cum reapse non a Plauto Plautinae, sed a Plautio Plautianae dici debuissent. Has igitur suppositias, quas Plautius videtur imitatione Plauti composuisse, Aelius a genuinis Plauti fabulis sedulo secrevit, probavitque e centum et triginta circiter comoediis, quae poetae nomine ferrentur, quinque et viginti solas ejus esse. Qua de re illius feruntur *Indices super Plauti fabulis, quae dicuntur ambiguae* [1]. Quaestionem autem, quam hoc opere Aelius disceptavit, postea Varro libris Plautinarum Quaestionum et singulari de Comoediis Plautinis libro persecutus est.

Non dubium est porro, quin e philosophiae Stoicae studio profectus sit Aelii *Commentarius de proloquiis*, cujus memoriam Gellius nobis servavit. Verba ejus sunt [2]: „Quum in disciplinas dialecticas induci atque imbui vellemus, necessum fuit adire atque cognoscere, quas vocant

---

[1]) Gellius III. 3. Hujus aetate Indices illi auctoritatem videntur amisisse. Dicit enim: *Verum esse comperior, quod quosdam bene literatos homines dicere audivi, qui plerasque Plauti comoedias curiose atque contente lectitarunt, non Indicibus Aelii, nec Sedigiti, nec Claudii, nec Aurelii, nec Accii, nec Manilii, super his fabulis, quae dicuntur ambiguae, credituros, sed ipsi Plauto moribusque ingenii atque linguae ejus.*

[2]) XVI. 8.

dialectici *εἰσαγωγὰς*, tum, quia in primo *περὶ ἀξιωμάτων* discendum, quae M. Varro alias *profata*, alias *proloquia* appellat, commentarium de proloquiis L. Aelii, docti hominis, qui magister Varronis fuit, studiose quaesivimus, eumque in Pacis bibliotheca repertum legimus. Sed in eo nihil edocenter, neque ad instituendum explanate scriptum est, fecisseque videtur eum librum Aelius sui magis admonendi, quam aliorum docendi gratiâ." Ex ratione, qua Gellius de hoc libro judicat, facile assequimur, Aelium primum in hoc dialecticae argumento elaborasse, tum vero ex iis, quae addit: „Redimus igitur necessario ad Graecos libros" patet, non valde materiam eam posteriorum studiis frequentatam esse. Ceterum nihil prorsus de commentario hoc Aeliano proditum est, neque fragmenta ejus rationem declarant. Quare, utrum Chrysippi *διαλεκτικοῖς ὅροις* [1]), an aliis Stoicorum libris in eo conficiendo usus sit, ignoramus.

Etymologicorum fragmenta, praeter ea, quae ad sacra pertinent, alia quoque inveniuntur, quae vel obsoleta verba, vel usitata spectant. Difficile est, ea sic distinguere, ut ad sedes quaeque suas revocentur. Prius genus eorum haud dubie pertinet ad interpretationem antiquissimorum scriptorum, sive poetarum, sive historicorum; posterius fortasse ad communem librum referendum est, quo de significationibus verborum usu receptorum auctor egerit: quemadmodum Cornificii *Etymorum libri* memorantur [2]).

Tandem apud Grammaticos [3]) invenitur Aelii sententia de rebus, quae ad Grammaticam artem pertinent. Suspica-

---

[1]) Cf. Diog. Laert. VII. 65. ibique Menagius.
[2]) Macrob. Sat. I. 9. saepius.
[3]) Cf. Sosip. Char. in Putschii Gramm. Lat. Auctt. p. 64. et 104.

mur inde, quamvis nusquam diserta ejus rei mentio fiat, condidisse eum Grammaticum opus, vel Lucilii exemplo [1]), libros de Orthographia. Sed ejus operis qualemcunque rationem reddere vetat fragmentorum paucitas.

Jam restat difficultas in recensendis Aelii fragmentis, qua saepissime in exploranda antiquitate offendimus. Solent enim veteres, quorum testimoniis nobis utendum est, non semper *Aelium Stilonem,* sed saepius *Aelium* memorare, unde satis dubium fit, quis Aelius significetur. Fuerunt enim hoc nomine plures, qui diversa aetate floruerunt: in his Sex. Aelius [2]), Q. Aelius Tubero [3]) et duo Aelii Galli [4]). Haec igitur difficultas ita ubivis expediri nequit, ut considerate omnino in afferendis testimoniis agendum sit. Monendum tamen, interpretum consensu, apud Varronem quoties simpliciter laudetur Aelius, Stilonem esse cogitandum, quoniam in omni investiganda notatione magistri auctoritatem, si ferenda est, praefert: quoties vero Aelius Gallus apud eum memoretur, a posteriore manu adscriptum *Galli* nomen esse [5]). De Aelii Galli aetate non accurate constat [6]). Scripta autem ejus

---

1) Cff. Funccius De Adol. L. L. p. 39. Madvig. Opuscc. p. 106.
2) Vid. Disp. nost. p. 55.
3) De eo saepissime Cicero.
4) Alter jureconsultus, de quo v. not. 6. Alter eques et Arabicae expeditionis dux, de quo cf. Schönemann in *Tychsen u. Heeren Bibliot. d. alt. Lit. u. Kunst.* P. IX. p. 1—33.
5) Vid. Spengel Praef. Edit. p. 51.
6) Vid. Majansius Comm. ad XXX ICtorum fragmm. Genev. 1764, II. p. 37—47. Bachius Op. I. p. 403. Heimbach. Disp. de Aelii Galli Fragmm. Lips. 1823. Bachius Aelium Gallum, non addita causa, Praefectum Augustalem fecit. Merito eum reprehendit Heimbach, qui eum Varrone seniorem et aequalem Mutii Scaevolae existi-

praeter libros de verborum, quae ad jus civile pertinent, significatione, nulla memorantur. Quare probabile est, etymologias, quae apud Festum aliosve reperiuntur Aelii nomine laudatae, neque ad jus civile pertinentes, Stiloni esse vindicandas: quamquam non semper affirmari potest, ad jus civile eas non pertinere. Itaque, ubi dubitationi locus erit, monebimus; jam ipsa fragmenta componamus.

I.

Saliarium Carminum Interpretatio.

Varro L. L. VII. 2.

1. *FESTUS v. Manuos.*

MANUOS in carminibus Saliaribus Aelius Stilo significare ait bonos.

Dacerius legendum conjecit *manes* vel *manos,* et alludere Festum putavit, quod in carmine Saliari est: *Cerus manus* i. e. Creator bonus. Animadvertendum autem, Aelium hanc interpretationem e patrio sermone videri hausisse. Nam Lanuvini *mane* pro *bono* dicebant. Macrob. Sat. I. 3. Cff. Varro L. L. VI. 4. Non. v. Manum. Isid. Orig. V. 30. Festus v. manare.

2. *FESTUS v. Molucrum.*

MOLUCRUM Aelius in explanatione carminum Saliarium appellari ait, quod sub mola supponatur.

---

mat. p. 2. Sed praeclarius egisset, si ex ipsis reliquiis Aelii Galli aetatem definire studuisset. Videntur enim vestigia exstare, e quibus efficias, liberâ eum republica floruisse, opusque condidisse: v. c. *relegati,* qui sint, explicans, definitione liberae reipublicae tempora respicit, quum latius rem interpretaturus fuisset, si Ovidium aequalem habuisset. Cf. Heimb. p. 21.

Vide de hoc vocabulo disserentem Heimbach p. 43. Putat frumentum, quod molae subjicitur, h. l. ab Aelio significari.

3. *FESTUS v. Pescia.*

PESCIA in Saliari carmine Aelius Stilo dici ait, capitia ex pellibus agninis facta, quod Graeci vocent pelles πέσκη, neutro genere pluraliter.

II.

XII Tabularum Interpretatio.
Cic. de Legg. II. 23.

1. *CIC. l. l.*

L. Aelius LESSUM, quasi lugubrem ejulationem.

Pertinent haec ad verba in XII: *Mulieres genas ne radunto, neve lessum funeris ergo habento.* Hoc veteres interpretes, ait Cicero, Sex. Aelius, L. Acilius non satis se intelligere dixerunt, sed suspicari vestimenti aliquod genus funebris. L. Aelius lessum, quasi lugubrem ejulationem (sc. esse dixit), ut vox ipsa significat: quod eo magis judico verum esse, quia lex Solonis id ipsum vetat. — Turneb. ad h. l. dicit *Lessum* esse vocem fictitiam, per onomatopoeiam. Verba Solonis laudat Plut. Sol. c. 21. Καὶ τὸ κωκύειν ἄλλον ἐν ταφαῖς ἑτέρων, ἀφεῖλεν. Cff. Tusc. II. 23. Plaut. Trucul. IV. 2. 18. Ad v. *Lessum* praeterea Creuzerus conferri jubet Pouqueville. *Voy. de Morea à Constantinople* Vol. I. c. 30.

2. *FESTUS v. Sonticus morbus.*

SONTICUM MORBUM in duodecim significare ait Aelius Stilo certum cum justa causa.

Glossarium: *Sonticus morbus,* ἱερὰ νόσος. Cf. Gellius XVI. 4. XX. 1.

III.

Commentarius de Proloquiis.

Gellius XVI. 8.

* * *

IV.

Indices super Plauti fabulis, quae dicuntur ambiguae.

Gellius III. 3.

* * *

FRAGMENTA INCERTAE SEDIS.

I.

VARRO de L. L. V. 18. *Müll.*

CAELUM dictum scribit Aelius, quod est caelatum, aut, contrario nomine, celatum, quod apertum est.

Hic primus apud Varronem locus, ubi perperam nonnulli codd. *Aelium Gallum* habent. De quo errore cf. Spengel. Praef. Edit. p. 51. Müller. ad h. l. recte consentit cum Spengelio, Aelium Stilonem cogitante. Heimbach tamen Aelii Galli fragmentis Varronis verba vindicavit p. 9., et quae proxime sequuntur apud Varronem: *Non male, quod posterior Aelius, multo potius caelare a caelo, quam caelum a caelando,* Aelii Stilonis esse arbitratus est. p. 40. Verum, etsi misere depravatus ac fere desperatus locus sit, tamen illa duplex Aelii mentio perquam suspecta est, faciliusque in Mülleri lectione acquiescimus. Vid. Scalig. App. ad Conject. in l. IV. p. 177. Ceterum notandus Plinius Hist. Nat. II. 5., qui Varroni tribuit, quod Varro h. l. Aelio adscribit.

II.

VARRO de L. L. V. 66.

Aelius DIUM FIDIUM dicebat Diovis filium, ut Graeci Διόσκορον Castorem, et putabat hunc esse Sancum ab Sabina lingua, et Herculem ab Graeca.

Parum sibi constat Heimbach, hoc fragmentum ad genuina Aelii Galli referens p. 9. quum p. 42. ad Fr. VI recte moneat, verba, quae ibi laudat, Varronis, Aelio Stiloni esse attribuenda propter illud *dicebat,* quo Varro se haec ex ipso Aelio non ante longum temporis spatium audivisse significare haud dubie voluerit. Cf. Spengel. l. l. Henop. De ling. Sabina p. 46. 49.

III.

SOSIP. CHARIS. Inst. Gr. I. p. 104. Putsch.

FEROCIOR, tanquam pejor, melior, ait Stilo in eis accusativo posse proferri, ferocioreis.

IV.

SOSIP. CHARIS. l. l.

FERIENTIUM, FERIENTEIS idem Stilo putat facere debere, ut docenteis, saltanteis, quoniam quaecunque secum verbi jura traxissent, ea accusativis pluralibus, adjuvante re duntaxat genitivum pluralem in eis sonare.

V.

VARRO De L. L. VI. 7.

INTEMPESTAM Aelius dicebat quom tempus agendi est nullum.

Dirksen hoc fragmentum *Sex. Aelio* tribuendum censuit. (*Bruchstücke aus den Schriften d. Röm. Juristen. Königsb.* 1814. p. 44.) Cf. Heimbach p. 42. Optime hic Aelium Stilonem auctorem laudavit, et de voc. *intempesta* disseruit.

VI.

VARRO De R. R. III. 12.

L. Aelius putabat ab eo dictum LEPOREM (a celeritudine), quod levipes esset.

Verba uncis inclusa interpolata esse vidit Ursinus. Cf. Schneider Comment. in Varr. l. l. p. 559.

GELLIUS I. 18.

In quarto decimo rerum divinarum libro M. Varro: In quo *L. Aelius* noster, literis ornatissimus memoria nostra, erravit aliquoties. Nam aliquot verborum antiquorum Graecorum, proinde atque essent propria nostra, reddidit causas falsas. Non enim *LEPOREM* dicimus, ut ait, *quod est levipes,* sed quod est vocabulum antiquum Graecum.

Patet *Aelium Stilonem* esse. Quare Gellius titulo capitis: *Quod M. Varro in XIV Humanarum L. Aelium magistrum suum* περὶ ἐτυμολογίας *disserentem falsa reprehendit.* Cf. Varro de L. L. V. 101. De R. R. l. l. ubi suam sententiam exponit. Non nominato auctore Quint. Inst. I. 6. *Jam sit et classis a calando, et lepus levipes.*

VII.

FESTUS v. Maniae.

MANIAS Aelius Stilo dici ait ficta quaedam ex farina in hominum figuras, quia turpes fiant, quas alii maniolas appellant. Manias autem, quas nutrices minitantur pueris parvulis esse larvas, id est, manes, quos Deos Deasque putabant, quosque ab inferis ad superos emanare credebant, ut Mania est eorum avia, materve.

FESTUS in Schedis Pomponii Laeti v. Maniae.

MANIAS Aelius Stilo dicit ficta quae [1]) *ex farina in hominum figuras, quia turpes fiant, quas alii manio-*

---

[1]) In marg. *f. quaedam.*

las appellent. Manias autem, quas nutrices minitentur parvulis pueris, esse larvas, id est manes Deos Deasque qui aut ab inferis ad superos manant, aut Mania est eorum avia materna.

Descripsimus varietatem lectionis, ut, utra verior sit scriptura, e comparatione pateat. Quaeri enim possit, utrum totus locus vindicari debeat Aelio, an posteriora verba Festi sint. Huic opinioni prior scriptura, illi posterior magis favet, propter indicativi et conjunctivi usum, quo distinguuntur. Probabile tamen mihi videtur, Aelium hic diversas significationes vocabuli *maniae* indicare voluisse, quemadmodum duplicem quoque vocabuli *molucrum* interpretationem dedit [1]). Quocirca scribendum locum puto ex priore ratione, ita tamen ut corrigantur ex altera *appellent* et *minitentur*. Sic quidem recte a Festo toti sententiae apponitur: *sunt enim utriusque opinionis auctores.* i. e. nonnulli *maniolas* appellant ficta quaedam ex farina in hominum figuras; iidem *manias* appellant larvas, quas nutrices minitantur pueris. Ea vero distinctione non usus est Stilo, qui diversas res eodem vocabulo designari existimabat. Cff. Scal. et Dacer. ad Festum. Varro de L. L. IX. 61. Arnobius adv. Gent. III. 41. ibique Orellius. — *Maniae* autem Latine dicuntur, quae Graece Μορμολυκεῖα, de qua voce vid. Ruhnk. ad Tim. Lex. p. 130. Ed. 1.

VIII.

FESTUS v. Monstrum.

MONSTRUM, ut Aelius Stilo interpretatur, a monendo dictum est, velut monestrum.

---

[1]) Vid. Disp. n. p. 57.

Cicero *monstrum* a *monstrando* derivat de Div. I. 42. Nat. D. II. 3. Vid. Herzog. ad Sall. Catil. 47. p. 238. sqq.

IX.

FESTUS v. Naucum.

NAUCUM, ait Aelius Stilo, omnium rerum putamen.

X.

FESTUS v. Nebulo.

NEBULO dictus est, ut ait Aelius Stilo, qui non pluris est, quam nebula, aut qui non facile perspici possit, qualis sit, nequam, nugator.

Vidd. Interpp. ad h. l.

XI.

VARRO De L. L. VI. 59.

A novo etiam extremum *NOVISSIMUM* quoque dici coeptum volgo, quod mea memoria, ut Aelius, sic senes aliquot, nimium novom verbum quod esset, vitabant.

GELLIUS X. 21.

Non paucis verbis M. Ciceronem noluisse uti manifestum est, quod ea non probaret; velut est et *novissimus* et *novissime.* Nam quum et M. Cato et Sallustius et alii quoque aetatis ejusdem verbo isto promisce usitati sint; abstinuisse eo tamen tanquam non Latino videtur, quoniam qui doctissimus eorum temporum fuerat, L. Aelius Stilo ut novo et improbo verbo uti vitaverat. Propterea quid M. quoque Varro de ista voce existimaverit verbis ipsis ex libro de lingua Latina ad Ciceronem sexto demonstrandum putavi: *Quod extremum, inquit, dicebatur, dici NOVISSIMUM coeptum vulgo. Quod mea memoria ut Aelius, sic senes alii, quod nimium novum verbum esset, vitabant.*

Aelii fragmentis haec adscripsimus, quia magnopere suspicor, e Gellii loco patere, alicubi in scriptis

Aelium de hujus verbi *novissimus* usu disseruisse, et plane perversum judicasse. Vidd. Interpp. ad h. l. Praeferenda videtur Scriveriani cod. scriptura: *Quod mea memoria Aelius, Sisenna, alii, quod* —. Facilis enim, obscurato nomine Sisennae, librariis conjectura erat: *sic senes aliquot,* indeque *ut* ante *Aelius* irrepsit, ut proximum *sic* haberet quo referretur. Cff. Cujacius Obss. III. 36. Carrio Lectt. Ant. III. 4. p. 62.

XII.

FESTUS v. Nusciciosum.

NUSCICIOSUM Aelius Stilo ait appellari solitum, qui plus videret vesperi, quam meridie, nec cognosceret, nisi quod usque ad oculos admovisset.

Festus vocis *Luscitio* eandem explicationem dat. Cf. Nonius v. *Lusciosi* et Fulgentius *Luscitiosi.* Plinius Hist. Nat. XXVIII. 11. (47.) refert, Lusciosos a Graecis dici νυκτάλωπας. Vid. Hard. ad h. l. Nonius vero μείωπας.

XIII.

FESTUS v. Obstitum.

OBSTITUM Cloatius et Aelius Stilo esse ajunt violatum attactumque de caelo.

XIV.

FESTUS v. Ordinarius.

ORDINARIUM hominem Aelius Stilo ait dici solitum, qui minime ordine viveret.

XV.

VARRO de Vit. Pop. Rom. I. ap. Nonium v. Pandere.

Hanc Deam (PANDAM) Aelius putat esse Cererem; sed quod in asylum qui confugissent, panis daretur, esse nomen factum a pane dando.

Pandere ergo, ait Nonius, *quasi panem dare, et quod nunquam fanum talibus clauderetur.* — De

Panda cff. Interpp. ad Gellium XIII. 22. Orell. et Nourrit. ad Arnob. adv. Gent. IV. 3. p. 189.

XVI.

FESTUS v. Petauristae.

PETAURISTAS Aelius Stilo appellatos existimare videtur quod in aëre volent, cum ait: *petaurista proprie Graece, quod ii* πρὸς ἀέρα πετῶνται [1]).

Petauristae, ait Nonius, *a veteribus dicebantur, qui saltibus vel schemis levioribus moverentur, et haec proprietas a Graeca nominatione descendit,* ἀπὸ τοῦ πετᾶσθαι. Dicebant Graeci πέταυρον et πέτευρον. Cff. Scaliger ad l. Festi. Turneb. Adv. VIII. 4. XXIX. 19. Reisig. in Rhein. Mus. d. Philol. II. 2. p. 197.

XVII.

Quint. Inst. Or. I. 6.

L. Aelius PITUITAM (dici affirmat), *quod petat vitam.* Ridiculam hanc etymologiam Quintiliano videri, patet e ratione loci. Nam addit: *Sed cui non post Varronem sit venia?* Intelligitur autem Aelius Stilo, ut vel ex praenomine *Lucius* apparet.

XVIII.

GELLIUS V. 21.

Velim doceas nos, cur *PLURIA* sive *COMPLURIA* (nihil enim differt) non Latine sed barbare dixerint M. Cato, Q. Claudius, Valerius Antias, L. Aelius, P. Nigidius, M. Varro: quos subscriptores approbatoresque hujus verbi habemus.

XIX.

FESTUS v. Portisculus.

PORTISCULUS est, ut scribit Aelius Stilo, qui in portu modum dat classi.

---

[1]) Sched. *ideo quod his* (is) πρὸς ἀέρα πέταται.

Non credo, quae sequuntur apud Festum: *id autem est malleus,* Aelii esse, sed videntur ab ipso Festo addita. Cff. Interpp. ad h. l.

XX.

VARRO De L. L. V. 25.

Aelius scribit, PUTICULAE, quod putescebant ibi cadavera projecta.

FESTUS v. Puticuli.

Puticulos antiquissimum genus sepulturae ap*pellatos* quod ibi in puteis sepelirentur homines: qual*is fuerit* locus, quo nunc cadavera projici solent *extra portam* Exquilinam: quae quod ibi putescerent *inde prius* [1]) appellatos existimat putic*ulos Ael*ius Gallus, qui ait [2]) antiqui moris fuisse ut patris *familias* in locum publicum extra oppidum mancipia *vilia proji*cerent atque ita projecta, quod ibi *ea putes*cerent, nomen esse factum PUTICULI [3]).

Hunc locum, vestigia fragmenti, et verba Varronis secutus, sic instaurare conatus est Ursinus. Lapsus autem in eo, quod Aelium Gallum pro Stilone edidit. Vid. Müller ad Varr. l. l. Animadvertendum est, differre vocabuli genere Varronem et Festum. Heimbach p. 46. Aelii fragmento addit verba, quae nobis Varronis videntur: *qui locus publicus ultra Exquilias.*

XXI.

SOSIP. CHARIS. Inst. Gr. I. p. 64. Putsch.

PUER et in feminino sexu antiqui dicebant, ut Graeci ὁ παῖς καὶ ἡ παῖς, ut — in Nelei carmine prisco: Saucia

---

[1]) In Fragm. *p*otius.
[2]) Ibid. quia.
[3]) Ibid. puticulis.

puer filia sumam; ubi tamen Varro puera putat dictum, sed Aelius Stilo magister ejus, et Asinius contra.

Cf. Priscianus l. VI. p. 697. Putsch.

XXII.

FESTUS v. Sacrima.

SACRIMA est, ut Aelius Stilo et Clo*atius dicunt,* mustum indi*tum in amphoram* Liberalibus sacri*ficii causa, pro* uvis et vino, *quae quasi sacra* sunt, cum Libe*ro fit, ut prae*metium, cum Cereri [1]).

Cff. Interpp. ad h. l.

XXIII.

FESTUS v. Saliae.

SALIAS virgines Aelius Stilo scripsit sacrificium facere in regia cum Pontifice paludatas cum apicibus in modum Saliorum.

XXIV.

FESTUS v. Subucula.

SUBUCULAM Aelius Stilo et Cloatius iisdem fere verbis demonstrant vocari, quod diis detur ex halica et oleo et melle.

Varro de L. L. V. 131. *Subuculam* vestimenti genus appellat. Cff. Nonius v. *Subucula.* Festus h. l.

XXV.

FESTUS v. Tamne.

TAMNE, eousque, ut Aelius Stilo interpretatur.

XXVI.

VARRO de L. L. V. 21.

TERRA dicta ab eo, ut Aelius scribit, quod teritur.

XXVII.

FESTUS v. Tongere.

---

[1]) In Fragm. *Cereri.*

TONGERE Aelius Stilo *ait noscere esse,* quod Praenestini tongitionem *dicant pro notione.*

Ex Paulo Diacono mutilus hic Festi locus ab Interpretibus restitutus est.

XXVIII.

GELLIUS II. 21.

Sed ego quidem cum *L. Aelio et M. Varrone* sentio, *qui TRIONES rustico certo vocabulo boves appellatos scribunt, quasi quosdam terriones, hoc est, arandae colendaeque terrae idoneos.*

Cff. Varro de L. L. VII. 74. Festus v. *Septentriones.*

XXIX.

FESTUS v. Tumulus.

TUMULUM Stilo *Aelius sic definit: Tumulus est* cumulus are*nae editus secundum mare, fluctibus in* altum ele*vatus.*

XXX.

FESTUS v. Vapula Papiria.

Plautus in Feneratrice:

Heus tu: in Barbaria quod dixisse dicitur
Liberta suae patronae, id ego dico tibi.
Liberta salve. Vapula Papiria.

Aelius hoc loco VAPULA positum esse ait pro dole.

Haud dubie haec interpretatio Aelii Stilonis est, qui multus in Plauto fuit. Sequitur Varronis interpretatio vocabuli Plautini, qui parem operam magistri exemplo poetae navavit. Versus Plauti ex Scaligeri emendatione dedimus.

XXXI.

FESTUS v. Victima.

VICTIMAM Aelius Stilo ait esse vitulum ob ejus vigorem.

Hinc Glossarium: *Victimarius,* μοσχοθύτης, μοσχοτόμος.

XXXII.

VARRO De L. L. V. 101.

VOLPES, ut Aelius dicebat, quod volat pedibus.

Quint. Inst. Or. I. 6. *Jam sit et classis a calando, et lepus levipes et volpes volipes.* Cf. Heimbach p. 48.

XXXIII.

PLINIUS Hist. Nat. IV. 35 (59).

Aelius Stilo Jugurthino bello UNIONUM nomen impositum maxime grandibus margaritis prodit.

FRAGMENTA DUBIAE AUCTORITATIS.

I.

SERVIUS ad Georg. I. 75.

Nonnulli proprie calamos lupinorum ALAS dici putant, ut *Aelius*: *ALAE ex lupino, surculi sine foliis.*

Video Schneiderum Comment. in Caton. de R. R. p. 37. haec habere: *Ceterum locus Servii a Scaligero laudatus ex Codice Danielis, ubi Stelius (Aelius. Vidd. corrig.) Stilo docet, alas ex lupino dici surculos sine foliis — meretur, ut admoneam lectorem, usum hunc vocabuli alae esse ex Graeco ductum* rell. Attamen verba Scaligeri in Varr. De R. R. I. 31. p. 205. simpliciter *Aelium* referunt nullamque *Stilonis* mentionem habent. — Videtur autem fragmentum ad Stilonem referri posse, si quidem Servius post eum Varronem memorat.

II.

CICERO. Top. 3.

Locuples est ASSIDUUS, ut ait Aelius, appellatus ab asse dando.

Quum verbum *assiduus* exstet in XII, verisimile est, illorum interpretem a Cicerone intelligi, ut de Legg. II. 23. Qui tamen Aelius Stilo, an vetustior Sex. Aelius existimandus sit, difficile est dirimere. Teste Heimbachio p. 38. Dirksenus Sex. Aelium cogitare maluit. Cff. quae ille accurate de *assiduo* disputat.

III.

VARRO de L. L. V. p. 148. *Spengel.*

In foro LACUM CURTIUM a Curtio dictum constat, et de eo triplex historia; nam et Procilius non idem prodidit quod Piso, nec, quod is, *C. Aelius Stilo* secutus. — *C. Aelius* et Lutatius scribunt —

Anceps quaestio est de vera nominis scriptura. Codicum auctoritate Müller *Cornelius Stilo* — *Cornelius* edidit, secutus Spengelium, qui Praef. p. 55. dicit, veteres libros omnes habere *Cornelius,* cujus non recepti eum poenitebat. Alia quidem, pergit, cum uno in loco vetusti retineant *Stilonis* nomen, quod ipsum emendatorem, ut *C. Aelius* corrigeret, induxisse videtur, difficultas existit; sed ne huic quidem fidem tribuo. Quid enim Varronem brevitati haud parum studentem, ut semel iterumve *C. Aelius* vel *C. Aelius Stilo,* centies vero *Aelius* simpliciter scriberet, moverit? — Interpolatam lectionem etiam hoc prodit, quod Aelius Stilo *Lucius,* non *Cajus* dicitur. Cf. Müller l. l. Quodsi igitur Cornelius h. l. reponendus est, sine dubio L. Cornelius Sisenna historicus fuit.

IV.

FESTUS v. Dalivum.

DALIVUM supinum ait esse Aurelius, Aelius stultum.

Aelio Stiloni potius quam Aelio Gallo hoc fragmen-

tum tribuerim. Obsoletum enim verbum est; in quo genere indagando plurimum operae Stilo posuit. Glossarium: *Dalivus*, ἄφρων, ἄπειρος.

V.

VARRO de L. L. VII. p. 325. *Speng.*

LUCA BOS elephas; cur ita sit dicta, duobus modis inveni scriptum. Nam in *C. Aelii commentario* erat: *Ab Libycis Lucas.*

Hoc loco Müller item edidit *Cornelii.* Cf. Fr. III.

VI.

FESTUS v. Miles.

MILITEM Aelius a mollitia κατ' ἀντίφρασιν *dictum putat, eo quod nihil molle, sed potius asperum quid gerat.*

Interpres Festi haec verba vindicat Stiloni. Neque immerito. Namque, ut *ordinarium* hominem interpretatus est, qui minime ordine viveret, ita in absurdam *militis* etymologiam facillime labi potuit.

VII.

FESTUS v. Mina.

MINAM Aelius vocitatam ait mammam alteram lacte deficientem, quasi minorem factam.

VIII.

FESTUS v. Molucrum.

Cloatius etiam (et Aelius) in libris sacrorum MOLUCRUM ajunt esse lignum quoddam quadratum, ubi immolatur.

Cf. Sup. p. 57. Animadvertendum est, Cloatium Verum et Aelium Stilonem saepius componi a Festo. Vidd. Fr. XIII. XXII. XXIV. Quoties autem conjunctim laudantur, refertur eorum sententia ad vocabula quae ad sacra pertinent. Unde probabilius etiam fit, *Aelii* nomen hîc inserendum esse.

IX.

PLINIUS Hist. Nat. XIV. 13 *(15).*

Lautissima apud priscos vina erant MYRRHAE odore condita, ut apparet in Plauti fabula, quae Persa inscribitur, quamquam in ea et calamum addi jubet. Ideo quidam aromatite delectatos maxime credunt. — Scaevolam quoque et *Laelium* et Attejum Capitonem in eadem sententia fuisse video, quoniam in Pseudolo sit:

Quod si opus siet, ut dulce promat indidem, ecquid habet?
Char. Rogas?
Murrhinam, passum, defrutum, mella.

Cff. quae p. 37. monuimus. Videtur igitur *Aelius* reponendus esse, ex cujus Indicibus in Plauti fabb. ambiguas haec fortasse Plinius repetivit. Vid. Hadr. Junius Animadvv. V. 19.

X.

ARNOBIUS adv. Gent. III. 38.

NOVENSILES Piso Deos esse credit novem in Sabinis apud Trebiam constitutos. Hos Granius *Musas* putat, consensum accommodans *Aelio.*

Cf. c. 39. Varro De L. L. V. 74. *Novensides a Sabinis.* Vid. Mar. Victor. p. 2470. Putsch — Heraldus in Annot. ad Arnob. p. 169. Orell. Aelium Stilonem significari putat. Est tamen mera suspicio. Animadvertendum tamen, h. l. L. Calpurnium Pisonem conjungi cum Aelio, a quo dissentit. Similiter apud Varronem (Fr. III.) de lacu Curtio Piso et C. Aelius memorantur, ubi quod corrigunt *Cornelius,* etsi codicum fide nitatur, tamen ex loci Arnobiani ratione non necessarium videtur.

XI.

FESTUS v. Nuptiae.

NUPTIAS Aelius et Cincius dictas esse ajunt, quia

flammeo caput nubentis obvolvatur, quod antiqui obnubere vocarunt[1]. *Ob quam causam legem quoque parenstam*[2] *jubere caput ejus obnubere, qui parentem necavisset.*

Cff. Interpp. Heimbach. p. 45. non minori jure ad Stilonem, qui nuptiarum fortasse ad carmina Saliaria meminerit, quam ad Aelium Gallum hoc fragmentum referri posse putat. Verisimilius tamen referemus ad libros Sacrorum. Namque parum credibile, in explanatione carminum Saliarium Stilonem usitata vocabula moratum esse.

XII.

FESTUS v. Procestria.

Aelius PROCESTRIA aedificia dixit esse extra portam.

Dubium, sic legendum sit an *procastria*, ut in MS. est. Glossarium: *procastria* οἰκήματα πρὸ παρεμβολῆς. Item: οἱ πρὸ παρεμβολῶν τόποι.

XIII.

FESTUS v. Refriva faba.

Aelius dubitat, an REFRIVA FABA ea sit, quae prolata in segetem, domum referatur, an quae refrigatur, quod est torreatur.

Heimbach p. 47. auctorem hujus fragmenti putat Aelium Stilonem, quia pertinet ad jus sacrum. Suspicatur autem ex Aeliana Carminum Saliarium explanatione repetitum esse. Non est cur dissentiamus. — Plinius Hist. Nat. XVIII. 12 (30): *Fabam utique e frugibus referre mos est auspicii causa, quae ideo referiva appellatur.* Incertum, num hinc corrigendus sit Festi locus, ad quem vid. Scaliger.

---

[1]) In Fragm. *vocarint.*

[2]) Ursin. l. *funestam.*

XIV.

FESTUS v. Salii.

SALIOS a saliendo et saltando dictos esse, quamvis dubitari non debeat, tamen Polemon ait, Arcada quendam fuisse nomine Salium, quem Aeneas a Mantinea in Italiam deduxerit, qui juvenes Italicos ἐνόπλιον saltationem docuerit. At Critolaus Saonem ex Samothrace cum Aenea deos Penates qui Lavinium transtulerit, Saliare genus saltandi instituisse, a quo appellatos Salios.

Critolaus quis fuerit, qui hic laudatur, non liquet. Fortasse *Stilo Aelius* legendum est, cujus memoravimus fragm. de Saliis virginibus (Fr. XXIII.). Suspicor librarios, propter Polemonem (qui fuit vetus rerum Italicarum scriptor. Cf. Interp. ad Virg. Aen. VIII. 285.) in errorem inductos, Critolaum somniasse.

XV.

FESTUS v. Sanctum.

SANCTUM ait dici Opilius Aure*lius, quod* nec sacrum est, nec religiosum. *At Aelius* Stilo, quod utrumque esse *videatur,* et sacrum scilicet et religiosum.

Recte Heimbach p. 47. causam se videre negat, ob quam Aelio Stiloni tribuendum sit mutilum hoc fragmentum. Adscripserim potius, inquit, Aelio Gallo, quia arctissime cohaerere videtur cum explicatione verborum *sacer* et *religiosus,* de quibus Gallus disseruit. Perperam igitur ab interpretibus *Stilo* additum videtur. Cf. Macrob. Sat. III. 3.

XVI.

FESTUS v. Sobrius vicus.

SOBRIUM VICUM dictum putant Cloatius *et Aelius quod* in eo nullus tabernae *locus, neque cau*ponae fuerit.

Si recte interpolatus locus est, Aelius Stilo habendus est, fragmentum autem ad libros Sacrorum

referendum videtur. Nam cum Cloatio Vero apud Festum conjungi solet Aelius Stilo, ut saepe nobis patuit. Cf. Scal. ad h. l.

XVII.

SCAURUS de Orthog. p. 2255. Putsch.

Primum igitur per adjectionem illa videntur esse vitiosa, quod Accius geminatis vocalibus scribi natura longas syllabas voluit, cum alioqui adjecto vel sublato apice, longitudinis et brevitatis nota posset ostendi. — Quam inconstantiam Varro arguens, in eundem errorem diversa via delabitur.

Barthius Advers. XXIV. 5. p. 1289 dicit: „Aelius sive Stilo, sive Stolo, M. Varronis praeceptor literarius, ab eo ipso discipulo suo, quo doctiorem res Romana habuit neminem, rebus plurimis tantum non acerbe sugillatus deprehenditur in Etymologia non paucorum verborum. Quare cum Scaurus in lib. de Orthog. nominet Accium, qui voluerit syllabas duabus literis scribi, quae natura sint longae, et eo nomine a M. Varrone sit reprehensus, non videtur male ex veteri editione corrigi posse, *Aelius.*" — Recte ille. Cff. Fr. III. IV. incertae sedis. Miror vero, Barthium incertum haesisse, *Stilonem* an *Stolonem* Aelium nominaret, quum omnino non dubium sit. Quod vero addit de Aelio tantumnon acerbe a Varrone sugillato, commentitium est. Vid. sup. p. 50. 51.

XVIII.

VARRO de Orig. L. L. I. ap. Prisc. p. 556. Putsch.

Ut Jon scribit, quinta vicesima est litera quam *agma* vocant, cujus forma nulla et vox communis est Graecis et Latinis, ut his verbis: *aggulus, aggens, agguilla, iggerunt.* In hujuscemodi Graeci et *Accius noster* bina *gg scribunt.*

Cf. Müller p. 264. qui Accium hunc eundem habet, ad quem Varro alios de Grammaticis rebus libros scripsit. Quodsi hîc ut in superiore fragm. aliquid audendum est, libenter *Aelius* reponam, de quo magistro, ut vidimus, saepius illud *noster* usurpat.

Haec Aelii Stilonis fragmenta, partim certa, partim incerta aut dubia, ex antiquitate conquisivimus. Jam de Servii Claudii scriptis et fragmentis breviter dicturi, redimus ad Suetonii verba, quibus ineditum librum Aelio socero fraude interceptum a Claudio commemorat. Quis ille, aut cujus generis liber fuerit, non traditur. Fortasse aliquis suspicetur, *Indices super Plauti fabulis ambiguis* intelligendos esse. Ac videri quidem possit hoc suspicanti Servius indices illos, multo acumine ac diligentia confectos socero invidisse, furto abstulisse, deinde nomine suo edidisse. Quo nomine quum in manus hominum pervenissent, pudore commotus, fassusque fraudem, editos libros vero auctori vindicatos voluisse. Factum vero ita esse, ut re non satis explorata ac divulgata, utriusque nomine iidem Indices ferrentur. Verum huic sententiae obstat Ciceronis sententia, affirmantis, *Servium Claudium notandis generibus poetarum et consuetudine legendi adeo tritas aures habuisse, ut facile diceret: hic versus Plauti est, hic non est* [1]). Quod si reputamus, non admodum probabile fit, virum tam acri judicio, in quo genere ipse excelleret, aliena laude quam sua florere maluisse. Necesse igitur, alius generis hoc opus fuisse. Ac levis quidem suspicio oritur e pauculorum fragmentorum, quae nobis e Servii scriptis supersunt, ratione. Spectant illa evidentissime Plauti verba, quorum etymo-

---

[1]) Ad Div. IX. 16.

logiae quaeruntur. Fortasse ergo Aelio, viro in hoc studiorum genere exercitato ac Plautini sermonis studiosissimo, etymologicum Plautinum, elucubratum opus, surripuit. Praeter indices super Plauti fabulis ambiguis memoratur Servii *commentarius;* cujus unum fragmentum superest. Quid? si hic ipse commentarius liber Aelii ineditus fuit, quum fragmentum illud Plautini verbi originem spectare potuerit.

Memorantur praeterea Servii libri Graeci et Latini, quibus vehementer opus fuisse Ciceroni vidimus. Inde tamen minime constat, omnes conscriptos a Servio esse; probabiliter bibliotheca ejus significatur, e variis variorum, ipsius etiam scriptis, composita.

Scripta igitur et fragmenta, quae ad nostram notitiam pervenerunt, haec sunt.

I.

Indices super Plauti fabulis, quae dicuntur ambiguae.

Gellius III. 3.

* * *

II.

Commentarius.

GELLIUS XIII. 23.

Ac ne id quidem praetermittendum puto, cuicuimodi est, quod in commentario quodam Servii Claudii scriptum invenimus: *NERIO dictum quasi Neirio, hoc est, sine ira et cum placiditate, ut eo nomine mitem tranquillumque fieri Martem precemur.*

Hoc capite Gellius disputat de forma, origine, et significatione vocabuli *Nerio* s. *Neriene,* Plautum, Gellium et Licinium Imbricem memorans. In fine addit Claudii etymologiam, quam tamen non magni videtur fecisse, quoniam addit: *cuicuimodi est.* Cf. de

hoc vocabulo Sabinae originis Henop. De ling. Sabina p. 24.

FRAGMENTA.

I.

VARRO de L. L. VII. 66. *Müll.*

Sic Claudius scribit:

Axitiosas demonstrari consupplicatrices.

Ab agendo AXITIOSAS; ut ab una faciundo FACTIOSAE, sic ab una agendo ACTIOSAE (et AXITIOSAE) dictae.

Magna in his lectionis varietas. Cf. Spengel. p. 348. Non dubito quin Plautini versus sit interpretatio. Duo enim versiculos ex ejus *Astraba* et *Sitellitergo* laudaverat Varro. Festus v. *Axitiosi* similia habet.

II.

VARRO de L. L. VII. 70.

Claudius scribit: quae praeficeretur ancillis quemadmodum lamentarentur, PRAEFICA est dicta.

Ad Plauti versum e *Truculento* haec verba Claudii referenda sunt. Praecesserat Aurelii interpretatio vocabuli *praefica.* Cf. Festus v. *Praefica,* ibique Dacerius.

III.

VARRO de L. L. VII. 106.

Claudius scribit DELICUUM esse ab eliquato.

Hîc pariter Aurelius et Claudius junguntur. Refertur fragmentum ad *Casinam* Plauti, e qua Varro versiculos laudaverat. Festus v. *Deliquum:* apud Plautum significat *minus.*

CAPUT V.

L. Aelius Stilo Praeconinus Herenniani operis, ut videtur, auctor.

Paravimus nobis viam ad praesentem disquisitionem, in qua de praeceptore Herenniano agendum est. L. Aelii memoriam, temporibus corruptam, quatenus eam nobis antiquitas servavit, integram, ut speramus, retulimus. Quocirca facilius jam ex iis quae patent, assequi poterimus, si quid inde ad illustrandum Rhetoricorum auctorem haurire licebit.

Quod de Gniphone suspicatus est Schutzius, adolescenti Ciceroni praeceptorem fuisse, id de L. Aelio, ipso Cicerone teste, constat. Interesse enim solebat orationibus, quas Aelius nobilium Romanorum gratiâ componebat, perstudioseque eum audiebat. Moderante igitur Aelio, Cicero oratoriis exercitationibus cum aequalibus videtur operam dedisse. Quemadmodum Athenis postea, hortante patre, Cicero filius non solum principem Peripateticorum Cratippum audiebat, verum etiam tum Graece apud Cassium, tum apud Bruttium Latine declamitabat [1]), ita adolescens ipse Cicero peculiarem, ut supra monuimus, dicendi magistrum videtur Aelium habuisse. Hanc institutionem rhetoricam sine dubio significabat, quum de incunabulis veteris suae puerilisque doctrinae loqueretur, et de ordine praeceptorum, quem ex illa doctrina, maturus aetate et ingenio, nollet repetere [2]). Rhetorica igitur, quae illa aetatis maturitate puero sibi aut adolescentulo e com-

[1]) Ad Div. XVI. 21.
[2]) De Orat. I. 6.

mentariolis excidisse querebatur [1]), referebant puerilis doctrinae incunabulas, et praeceptorum ordinem ex illa doctrina repetitum continebant. Quamobrem non levi indicio nitimur, suspicantes, e disciplina Aelii illa Ciceronis rhetorica fluxisse.

Initium duximus ab Aelianae disciplinae commemoratione, quandoquidem, quod a Schutzio optime demonstratum est, praeceptis Herenniani doctoris Ciceronem usum fuisse, inde illustrari potest. Verumtamen, valent haec, quae in exordio posuimus, ad disciplinam Aelii, ad Rhetorica Herenniana non pertinent. Itaque, ut idem ille Ciceronis praeceptor operis hujus auctor nobis habeatur, necesse est, primum probemus, fieri potuisse, ut rhetorica scriberet; deinde, etiam scripsisse videri. Ac potuit quidem scribere Aelius, quae ad oratoriam artem pertinerent, siquidem in eam, ut supra vidimus, aetatem vita ejus incidit, qua non solum Grammatices antiquae fines, ipso potissimum et Servio Claudio auctoribus, prorogarentur, verum etiam Rhetorices studia, quae praecipue antea uniceque fere a Graecis doctoribus Romae colebantur, a Romanis magnopere curari coepissent. Neque vero falli nos, verisimillimum existimantes, Rhetoricos libros re vera ab Aelio conscriptos esse, Quintiliani ac Suetonii testimoniis declaratur. Ille enim, expositis Graecis Rhetoricorum auctoribus: „Romanorum“, inquit [2]), „primus (quantum ego quidem sciam) condidit aliqua in hac materia M. Cato ille Censorius, post M. Antonius inchoavit. Nam hoc solum opus ejus, atque id ipsum imperfectum, manet. Secuti minus celebres, quorum memoriam, si quo loco res poscet, non omittam. Praecipuum vero lumen sicut eloquentiae, ita praeceptis quoque ejus dedit

[1]) Eod. l. 2. Quint. Inst. Or. II. 15., III. 1. et 5.
[2]) Inst. Or. III. 1.

unicum apud nos specimen orandi, docendique oratorias artes, M. Tullius: post quem tacere modestissimum foret, nisi et rhetoricos suos ipse adolescenti sibi elapsos diceret, et in oratoriis haec minora, quae plerique desiderant, sciens omisisset." Ex hoc loco facile intelligitur, intervallum temporis, quod inter Antonii affectum opus [1]) et praeclara Ciceronis scripta medium fuit, non destitutum fuisse illorum operâ, qui in rhetorico genere elaborarent, scriptisque illius disciplinae partes explicare studerent. Quamquam, quod illos Quintilianus hic, ubi probatissimos deinceps omnes auctores recenset, silentio praetermittit, facit omnino, ut putemus, Rhetores maximam partem fuisse istorum e numero, qui Censorio edicto docere prohibiti essent [2]); quos inclarescendi causâ scribendi munus post Crassi mortem suscepisse probabile est. Ita memoratur Plotii *de gestu* liber [3]). In istis autem minus celebribus Aelium quoque Stilonem, quamvis laudabiliorem scriptorem, ponere potuit, quippe ad Ciceronem laudibus ornandum festinans. Sed habemus Suetonium diserte tradentem, veteres Grammaticos etiam rhetoricam docuisse, ac multorum de utraque arte commentarios sua aetate ferri [4]). Quare non dubito, quum veteribus Grammaticis unum maxime annumerare Aelium oporteat, quin re vera de rhetorica scripserit.

Videndum jam est, ad quam aetatem libri ad Herennium scripti referendi sint. Satis certa vestigia continent, quibus declaratur, non solum antiquos esse, sed etiam primos, quibus, qua late patent, Rhetorica Latinis literis

[1]) De quo cf. Westerm. Op. I. p. 111. not. 5.
[2]) Vid. Disp. n. p. 31. sqq.
[3]) Quint. Inst. XI. 3. Vid. Westerm. Op. I. p. 137. not. 19.
[4]) De Ill. Gr. 4.

illustrata sint. A Schutzio haec operis antiquitas accurate explorata et demonstrata est, illo loco, quo ostendere conatur, Ciceronem potius Herenniani doctoris opus videri supplevisse, quam hunc illius verba contraxisse [1]). Nullus enim exstat locus, ubi praeceptor Herennii Latinos artis scriptores memoret; nullus, unde probabile fiat, aut suspicemur, in consilium usumque ab eo vocatos. Contra Graecos fontes indicat, sequitur partim, partim improbat; rationem ac morem, quo in exponendis rhetoricae partibus versati sunt Graeci, refert, suamque illorum sententiis sententiam saepius opponit. Sic in exemplis eligendis cur suis quam alienis maluerit uti, quidque commodi ex hac sua ratione nascatur, adversus Graecos fuse prolixeque defendit; illa vero, quae Graeci scriptores inanis arrogantiae causa sibi assumsissent, a se repudiata, ac simpliciorem tractandae artis viam inventam tradit. Praeterea queritur magnitudinem operis, quod, ut rectissimis Herennii studiis satisfaceret, suscepisset. „Si tardius haec“, inquit, „quam studes, absolventur, tum rerum magnitudini, tum nostris quoque occupationibus assignare debebis [2]).“ Nec parum operae ac difficultatis afferebat scriptori, quod figuras orationis, Graecis nominibus insignitas, Latinis convertere oportebat. „Nomina rerum Graeca“ ait „quae convertimus, remota sunt a consuetudine Latina: quae enim res apud nostros non erant, earum rerum nomina non poterant esse usitata. „Ergo“ addit „haec asperiora primo videantur necesse est, idque fiet rei, non nostra difficultate [3]).“ Hinc colligitur,

[1]) Prooem. p. 53. 59.

[2]) I. 17.

[3]) IV. 7. Obscurius dictum videtur *rei, non nostra difficultate.* Conjeci legendum: *idque fiet rei difficultate, non nostra culpa.* Vocabulum *culpa,* quod latet in *difficultate,* fortasse librariorum hallucinatione excidit.

quum neque res, neque rerum nomina usitata ac nota essent Romanis, haec Rhetorica ad Herennium Romanorum prima atque antiquissima esse habenda. Patuit autem nobis, veterum fide et auctoritate, maxime probabile esse de Rhetorica Aelium scripsisse. Quod si negari nequit, causa est, cur existimemus, primum illum de ea arte subtilius et fusius exposuisse, ut, qui ante eum experti essent quaedam componere, Cato et Antonius, ejus industria superarentur. Nam quum constet, auctoribus Aelio et Servio, Grammatica studia Romae effloruisse, conjunctas autem fuisse eo tempore Grammaticae et Rhetoricae professiones, facile in eam sententiam perducimur, utriusque artis studium illius, qui senior esset, scriptis primum excultum et provectum esse.

His universe praemonitis, peculiaria persequamur. In quibus primum, quae de doctrinae copia, qualem in Herenniano doctore cognovimus, dicenda videntur, haud aliena sunt ab Aelii persona. Utrique enim accurata Graecarum et Latinarum literarum cognitio communis fuit [1]. Quod autem ille de se fatetur [2]: „non spe quaestus aut gloriae commoti venimus ad scribendum, quemadmodum ceteri, sed ut industria nostra tuae morem geramus voluntati“: convenit in Aelium, equitem Romanum cum primis honestum, cujus non esset, mercenarium ludum aperire, sed gratificari studiosae juventuti, quae erudiri humanitatis disciplinis vellet.

Porro *negotia familiaria,* quibus queritur auctor se impediri quominus studio suppeditare satis possit, Schutzius interpretatur de quotidiana familiares i. e. discipulos docendi opera [3]). Recte quidem, verum latius patere negotia

[1]) Supra p. 50. sqq. Schutz. Prooem. p. 59.
[2]) I. 1.
[3]) L. l.

illa familiaria crediderim, ac potissimum spectare operam reipublicae navatam [1]), in qua non minus quam in doctrina Aelius varii usus fuisse dicitur [2]). Atque hîc sponte in mentem revocamus amicitiae officia, quibus se nobilitati Romanae commendabat, quaeque scribendis orationibus maxime conspicua erant. Praeterea, si quaerimus, quo consilio haec Rhetorica conscripserit auctor, non obscurum est animadvertere, ab eo exercitationem dicendi praecipuo loco habitam esse, quam ubivis data opera laudat et discipulo commendat. Ita prooemio artem dicit sine assiduitate dicendi non multum juvare; rationem praeceptionis ad exercitationem accommodari oportere. Idem in fine operis: „Omnes rationes honestandae elocutionis studiose collegimus, in quibus, Herenni, si te diligenter exercueris, et gravitatem et dignitatem et suavitatem habere in dicendo poteris, ut oratorie plane loquaris. — Res communis agitur, ut frequenter et assidue [3]) consequamur artis rationem studio et exercitatione [4]).“ Quae quidem in Aelium, ad forensem operam Romanos instituentem, non minus conveniunt, quam quod auctor addit, libenter se cum Herennio propter amicitiam exerceri solitum. Hinc enim patere videtur, non ludum dicendi publicum habuisse, sed privatim cum familiaribus ac necessariis oratorios conventus instituisse. Pariter Aelius, qui a Suetonio in artis professoribus non numeratur.

Animadvertimus supra [5]), referente Gellio, Ciceronem vocabula *novissimus* et *novissime* vitasse, quoniam iis Aelius uti noluisset. Erravit Gellius. Nam, licet in rhe-

---

[1]) Burm. ap. Schutz. l. l. p. 11.
[2]) Suet. Ill. Gr. 2.
[3]) Hîc excidisse videtur *dicendo*.
[4]) Cf. II. 7. III. 24.
[5]) P. 68.

toricis de Inventione vocabulis istis non usus sit, tamen in aliis operibus subinde usurpavit *novissimus* [1]). De Aelio vero certissimum videtur, quoniam id Varro, qui illum doctorem in literis habuit, testatur. Itaque in Herenniano opere *nove* quidem semel usurpatum videmus [2]), *novissimus* vero et *novissime* frustra quaerimus [3]), quorum loco *extremum, postremum* [4]), *recens, nuperrimum* [5]) saepissime occurrunt.

Auctor ad Herennium non solum scribendo dicendi artem excoluit, sed in philosophiae studio assidue versabatur. „Id ipsum" ait „quod a negotiis familiaribus otii datur, libentius in philosophia consumere consuevimus" [6]). Hoc studium pluribus locis, praecipue electione exemplorum animadvertitur, e quorum genere et ratione recte Fuhrmannus statuit [7]), Stoicae formulae addictum auctorem fuisse. Idem conclusio operis indicat: „Nam et simul libenter exercemur propter amicitiam, cujus initium cognatio fecit, cetera philosophiae ratio confirmavit: et nobis non diffidimus, propterea quod et aliquantulum processimus, et alia meliora sunt, quae multo intentius petimus in vita, ut etiamsi non pervenerimus in dicendo, quo volumus, parva pars vitae perfectissimae desideretur." Hujus studii similitudo in Aelio manifesta est. Dicit enim de eo Cicero, Stoicum esse voluisse, atque ex dialectica

---

1) Vidd. loca ap. Schott. Nod. Cicer. III. 17. p. 365.
2) I. 9. Vid. Graevius ap. Burm. ad h. l.
3) Fallitur sane Becichemus, apud auctorem ad Her. vocem *novissimus* sibi invenisse visus. Vid. Burman. Prooem. p. 27.
4) I. 9. II. 1. 3. 22. III. 10. 12. 22. IV. 13. 27. 38.
5) I. 6. III. 10. 22. IV. 34.
6) I. 1.
7) Handb. d. klass. Alt. II. p. 90.

Stoicorum commentarius ejus *de proloquiis* videtur profectus, de quo supra vidimus [1]).

Postremum argumentum sumemus ab exemplis, quibus usus est auctor. Sed quum in disceptationem quaestio de exemplorum ratione vocari possit, operae pretium facturi sumus, si ante quaedam hac de re monuerimus. Sic igitur judicantem video, qui praeclare de eloquentiae Romanae historia exposuit, Ellendtium [2]). Notabiles eloquentiae magistros non sicut metricos artifices exempla sua sibi ipsos fingere, sed ex veris causis desumere. Sic Ciceronem in Oratore et libro de Oratore secundo; sic Quintilianum, ubicunque opus sit, inprimis libris nono et undecimo; sic Senecae Rhetoris totum opus in his exemplis colligendis constare; ut rhetorem, qui ad Herennium scripsit, a more communi descivisse oporteat, si ad unum omnia exempla ab ipsius ingenio profecta dicamus. Nam infimae solum aetatis τεχνογράφους sic facere ut Emporium Rhetorem apud Capperonn. p. 303. et Prisc. Praep. Rh. p. 359, vetustiores autem et nobiliores, ut Rutilium Lupum, nonnisi cum apud potiores auctores satis apta non invenirent. Putat igitur auctor, libros ad Herennium talium μιμήσεων refertos esse; imo vero eo progreditur, ut orato-

---

1) Sup. p. 59. Similiter Auct. ad Her. II. 11. de *amphiboliis* disputat: *Sunt qui arbitrentur, ad hanc causam tractandam vehementer pertinere cognitionem amphiboliarum eam, quae a dialecticis profertur. Nos vero arbitramur, non modo nullo adjumento esse, sed potius maximo impedimento. — Verum horum pueriles opiniones rectissimis rationibus, quum voles, refellemus. In praesenti autem hoc interdicere non alienum fuit, ut hujus infantiae garrulam disciplinam contemneremus.* — Videtur auctor hunc amphiboliarum usum dialecticis frequentatum, singulari scripto voluisse impugnare.

2) Prolegg. ad Cic. Brut. p. 40. 41.

rum, qui ante fuissent, nonnulla integra exempla contineri iis suspicetur. Quod autem e communi veterum Rhetorum more contenderat, idem porro permultis exemplis illustrare et probare conatus est, ita quidem ut ejus sententiâ atque indicio plurima in his libris inveniantur, quae ad superioris aetatis memoriam causarumque, quae actae fuissent, cognitionem pertineant [1].

Haud exigui sane momenti acuta haec viri animadversio est, dignaque quae perpendatur. Vereor autem, ut satis probetur iis, qui attenderint, paucissimis exceptis omnia exempla, quae ab illo ad certas causas, quas incidisse constat, referuntur, e libro ad Herennium quarto peti. Etenim longa disputatione, quam huic libro prooemii loco auctor praemisit, prorsus contraria videntur significari; quippe in eo versatur totus, ut rationes colligat, quibus persuadeat Herennio, multum praestare, ut artis scriptor propriis exemplis, quam ut alienis utatur. Non inutile solum, sed perniciosum etiam esse existimat discipulis, si magistrum ab omnibus poetis, historicis, oratoribus exempla videant eligentem et cumulantem, eaque ipsa re desperent, se consequi posse eam facultatem, quam ne singuli quidem probatissimi auctores consecuti videantur. Neque contra probavit rationem illam, qua ab uno auctore omnia exempla sumi placeret, quippe quae vulgo minus accommodata proprio artis proposito essent. Contendit igitur, quod ab artis scriptore exemplum afferatur, de ejusdem artificio debere esse, ac ridicule facere Graecos magistros, quum id, quod polliceantur, ab aliis quaerant, quumque, non modo dominos se fontium, sed se ipsos fontes esse jactantes, qui omnium rigare debeant ingenia, arescant ipsi siccitate. *Non isto modo,* inquit, *Chares a Lysippo statuas fa-*

[1]) Cff. Prolegg. l. p. 40. 44. 45. 68. 73. 74. 76.

cere didicit, ut Lysippus caput ostenderet Myronis, brachia Praxitelis, pectus Polycleti; sed omnia coram magistrum facientem videbat, ceterorum opera vel sua sponte considerare poterat [1].

Ex hac comparatione, ni fallor, cum declamandi ratio, quam probavit doctor Herennianus, tum vero, quam hic spectamus, electio exemplorum, quibus usus est, optime intelligitur. Graviorum causarum, quas optimi egissent oratores, loca in suos usus et ad certum illustrandae artis consilium ita convertit, ut discipulis ab ipsius ingenio profecta, quippe artificiosius elaborata, viderentur. Itaque propria quaedam fiebant declamationum species [2], quae imitatione e veris causis erant expressae. Quapropter non mirum, nec reprehendendum, hujus generis imitatiunculis abundare libros ad Herennium Ellendtio visos esse. Videndum tamen, ne erret idem, quum particulas orationum habitarum passim obvias existimet [3].

Verum, ut quarto libro auctor disputationem illam, qua Graecos dicendi magistros carpit, praefixit, ita cavendum videtur, ne ejus disputationis rationes ad superiores libros temere referamus. Diserte enim exordio quarti dicit: „Quoniam in hoc libro de elocutione conscripsimus, et quibus in rebus opus fuit exemplis uti, nostris usi sumus, — necessario faciendum est, ut paucis rationem nostri consilii demus.“ Pergit: „compluribus de causis putant oportere, quum ipsi praeceperint, quo pacto oporteat ornare elocutionem, uniuscujusque generis ab oratore aut poëta probato sumptum ponere exemplum.“ — Tandem: „exempla aliena si posuissemus, factum esset, ut,

---

[1]) IV. 6.
[2]) Hoc nomine eas appellavit Schutzius Prooem. p. 60.
[3]) Recte hoc cavendum providit Westerm. Op. I. p. 135. not. 11.

quod commodius esset in hoc libro, id nostrum non esset“ [1]). Patet igitur, quartum librum solum significari, et propriorum exemplorum usum ad *praeceptionem de elocutione* referri. In superioribus libris alia obtinet ratio; a poëtis enim plurima exempla petuntur, quibus quarto libro nonnisi semel, ubi vitia perstringenti id licere affirmat, auctor usus est [2]). Praeterea in iisdem ipsa oratorum aliorumque verba usurpata esse, duplex exemplum probat. Alterum libro secundo [3]): *Nemo potest uno adspectu, neque praeteriens, in amorem incidere.* Haec verba, quae non addito auctoris nomine laudantur, Curionis esse pro Ser. Fulvio de incestu, docemur a Cicerone [4]). Alterum, quod eodem libro est: *Nihil enim lacryma citius arescit* [5]), a Cicerone rhetori Apollonio vindicatur [6]).

His jam animadversis ad postremum argumentum, quo nostra nititur conjectura, revertimur. In duobus prioribus libris maxime nos advertit iterata Q. Caepionis mentio. Ac duas quidem diversas causas, ad quas saepius respicitur, memorari patet. Altera est ad tribunos plebis de amissione exercitus [7]); quo judicio reus factus erat Q. Caepio, qui Consul a. U. 648 propter rem male gestam adversus Cimbros, et auri Tolosani crimen, damnatus urbe cessit [8]). Altera causa est Q. Caepionis, ma-

---

1) C. 7.
2) C. 12.
3) C. 21.
4) De Inv. I. 44.
5) C. 30. ext.
6) De Inv. I. 55.
7) I. 14.
8) Cff. Auctt. laud. Orell. Onom. Tull. p. 540 b. Justinus XXXII. 3. Aur. Vict. Virr. Ill. 73. Clinton Op. l. II. p. 566. Schlosser Op. l. II. 2. p. 314.

jestatis rei, qui sine dubio diversus est a priore [1]). Eam causam solus memoravit Auctor ad Herennium his verbis [2]): „Quum L. Saturninus legem frumentariam de semissibus et trientibus laturus esset, Q. Caepio, qui id temporis quaestor urbanus erat, docuit Senatum, aerarium pati non posse largitionem tantam. Senatus decrevit, si eam legem ad populum ferat, adversus rempublicam videri eum facere. Saturninus ferre coepit. Collegae intercedere. Ille nihilominus cistellam detulit. Caepio, ut illum contra S. C. intercedentibus collegis, vidit ferre, cum viris bonis impetum facit, pontes disturbat, cistas dejicit, impedimento est, quo secius feratur lex: arcessitur Caepio majestatis." Redit ad idem exemplum libro secundo [3]): „Majestatem is minuit, qui ea tollit, ex quibus civitatis amplitudo constat: suffragia populi et magistratus consilium. Nempe igitur tu et populum suffragio et magistratum consilio privasti, quum pontes disturbasti. — Majestatem is minuit, qui amplitudinem civitatis detrimento afficit. Ego non affeci, sed prohibui detrimento; aerarium enim conservavi, libidini malorum restiti, majestatem omnem interire non passus sum." Eodem fortasse spectant [4]): „Vitiosum est, si quum comparetur, utrum satius sit populum frumentum accipere, an non? quae commoda sint in altera re, curet enumerare, quae in altera incommoda sint, velut depressa praetereat, aut ea, quae minima sint, dicat.

Haec causa Caepionis manifesto pertinet ad turbulentum tempus, in quod Metelli Numidici exsilium incidisse

---

[1]) Orell. Onom. p. 541.
[2]) I. 12. Cf. Schlosser Op. I. p. 320.
[3]) C. 12.
[4]) C. 28.

supra narravimus [1]). Causa illius exsilii tribunicius Saturnini furor fuit, qui postquam perversis consiliis clandestinisque machinationibus de statu fortunae virum integerrimum deturbare constituerat, populi benivolentiam instaurandis Gracchorum legibus aucupari meditabatur. Huic seditioso civi Q. Caepio se opposuit, frumentariam legem roganti, sed ipse accusatus majestatis in judicio se defendit. In quo vitae periculo verisimillimum est, Aelium Stilonem praesto ei fuisse ac scripsisse orationem, qua pro se uteretur. Nam quum faveret optimatibus Aelius, exsulique Metello socium se adjungeret, fieri vix aliter potuerit, quin Caepionem, qui adversus patriae hostem fortissime stetisset, auxilio suo et opera sustentaret, Saturninum vero, qui salutem patriae perditam cupivisset, odio haberet omnique studio persequeretur. Scripsit autem, teste Cicerone, Caepioni orationem, quum hic a Betucio Barro esset accusatus [2]); quae tamen accusatio num majestatis fuerit, atque a causa, quam memoravimus, haud aliena, non constat.

Haec sunt argumenta, quibus sententiam nostram niti ac confirmari putamus. Quodsi jam quaeritur, nihilne objici possit, quo sententiae fides suspecta fiat aut argumentorum vis minuatur, in triplici nos versatos difficultate non diffitemur. Quamobrem dabimus operam, ut singulas singulatim consideremus ac dijudicemus. Ac primum quidem obesse nobis Lucilii versus videatur, quem auctor ad Herennium reprehendit:

Has res ad te scriptas, Luci, misimus, Aeli [3]).

Deinde mirari quis possit, quare Cicero Rhetorica sua

---

[1]) P. 39. sqq.
[2]) Bruto 46.
[3]) IV. 12.

scribere aggressus sit, undeque illa tanta verborum aeque ac sententiarum similitudo in utroque opere exstiterit. Tandem quaeri possit, quid causae fuerit Quintiliano, ut auctorem horum Rhetoricorum ad Herennium nusquam nominaverit.

Versu illo Luciliano Aelium Stilonem significari non dubium est, quoniam praenomen Aelii, quo a ceteris ejusdem nominis distinguitur, additum videmus [1]). Benivolentiae autem testimonium fuit, quod ei Lucilius priorem Satirarum librum inscripsit. Quare malivolentissime Aelius et injuriosissime, quo versu ipsum amicus compellasset, eo ipso ad castigandum illum usus videatur; praesertim cum fateatur, assiduum in inconcinna verborum transjectione fuisse Lucilium. Quidni vero, dicat aliquis, quum eodem errore amicum saepissime lapsum intelligeret, talem locum exempli causâ posuit, cujus reprehensione amicitiae sanctitati nulla injuria fieret? quidni nos, ut tali culpa viri honestissimi memoriam praestemus liberam, audacter negabimus, hunc versum ab Aelio profectum esse, atque deceptos opinione nos esse dicemus, qui ei libros ad Herennium vindicaremus? Haec sane dici possint, sed cavendum ne temere assentiamur. Etenim non negligendum est, poëtam comicum fuisse Lucilium, qui in omni libertate sermonis Eupolin, Cratinum, et Aristophanem aemulatus, primores populi corriperet et populo minime parceret [2]). E fragmentis librorum et aliunde constat, Metellis, Carbonibus, Scaevolis infensum fuisse eosque

---

[1]) Non enim confugiemus ad Hier. Capiduri commentum, qui in Comm. in Rhet. ad Her. h. l. *Adverbium hic est l u c i, h. e. cum primum diluculum emicuit.*

[2]) Hor. Sat. I. 4. v. 6. II. 1. v. 62. sqq. Juven. Sat. I. 154. Persius I. 115.

proscidisse versibus[1]). Propterea Crasso minus familiaris fuit, quod exagitare Scaevolam augurem, amicum Crassi, solebat [2]). Quid? si ob eandem causam Lucilium Aelio displicuisse dicamus, qui eidem Scaevolae familiaris fuit[3]). Neque vero dissimulandum, de industria eo versu, in quo ipse nominaretur, uti voluisse Aelium, quoniam quum reprehendendam duceret assiduam Lucilii in verbis trajiciendis consuetudinem, intolerabilis sibi prorsus illa in nomine suo ridicule disjiciendo videretur.

Videndum porro, quid existimari oporteat de Ciceronis Rhetoricis. Jure miratos viros doctissimos negabimus, tantam in utraque praeceptione rhetorica rerum ac sententiarum similitudinem inveniri, ut fere pudeat affirmare, praecepta sua Ciceronem adeo servilem in modum ex alienis fontibus desumsisse? Quod etsi ipsum parum credibile sit, multo tamen fit absurdius reputantibus, e magistri libris haec pleraque discipulum arcessivisse, ac verbotenus saepius descripsisse. Difficultatem hujus rei minime praeterviderunt, quicumque hanc attigerunt quaestionem; aliter autem alii eam expedire studuerunt [4]). Ac

---

[1]) Cf. Dousa. Annot. ad Lucil. Fragm. init. Bayle Dict. voce *Lucilius.*

[2]) De Orat. I. 16.

[3]) Vid. supra p. 37.

[4]) *Miramur sane, juvenem tantis tamque illustribus ingenii facultatibus omnique rhetorum doctrina exornatum hujus non ita clari scriptoris vestigiis saepissime adeo institisse, ut eum ad verbum excerperet atque exprimeret. Neque tamen hoc tanto viro indignum esse videbitur, si quam pauci tum temporis libri Latino sermone de rhetorica arte compositi fuerint, meminerimus. Inde fit, ut utrumque auctorem inprimis in rerum definitionibus adumbrandis et in exemplis a poëtis oratoribusque Latinis petitis mirum in modum fere semper concinere videamus.* rell. Purgold. Obss. crit. in Soph. Eurip. Cic. p. 307.

recte quidem defendit *Schutzius*, consentiendum non esse iis, qui illam similitudinem, quae inter utrumque rhetoricum opus intercedit, Graeco cuidam scriptori, quem uterque auctor secutus sit, tribuendam putent. Nam quominus haec nobis ratio satisfaciat, obstare versiculos poëtarum Latinorum ab utroque commemoratos, inprimisque locum Plautinum, quem neuter potuerit ex Hermagora aliusve Rhetoris libro sumere, et in quo reprehendendo uterque eodem modo erraverit, quod vix fieri posset, nisi alter esset ab altero in errorem inductus [1]). Ipse autem, suae sententiae vindex, dicit [2]): „Quum esset Ciceroni adolescenti propositum eligere, quodcunque placeret, ex omnium doctorum, quicunque fuissent, ab ultimo principio hujus praeceptionis usque ad suum tempus expositis copiis, quidni etiam Gniphonis doctoris sui dictata s. libros ab eo scriptos in consilium adhiberet, ex iisque, quae idonea viderentur, decerperet?"

Aliter rem explicuit *Handius*, cui non omni ex parte satisfecit Schutzii sententia. Suspicatus est, utrumque auctorem communiter sua e Latini Rhetoris commentario vel libro hausisse, ita ut Cicero Rhetorica sua prius inchoaverit atque ediderit, quam sua incertus auctor ad Herennium [3]). Aliam denique excogitavit rationem *Bern-*

---

[1]) Schutz. Prooem. l. p. 52.
[2]) Eod. l. p. 61. Cf. Bähr Op. l. p. 373.
[3]) *Es möchte für beide Werke eine gemeinsame Entlehnung aus einem Lehrvortrage oder Lehrbuche, und zwar eines Lateinischen Rhetoren, welchem in der Anordnung, in Definitionen und Beispielen genau zu folgen, jedem Verfasser eines Handbuchs vergönnt sein konnte, als möglicher Erklärungsgrund nicht verworfen werden dürfen, wobei denn immerhin angenommen werden kann, die Bücher ad Herennium seien später, als Cicero's Schrift, erschienen, die in beiden Werken abwechselnde Vollständigkeit und Ausführlichkeit habe*

hardius, partim a Schutzio, partim ab Handio petitam. Conjecit enim, e Gniphonis schola utrumque praeceptorum ordinem eduxisse [1]). Nobis quidem illa de communi Latini Rhetoris fonte opinio, e cujus imitatione fluxerit utrumque opus rhetoricum, etsi ingeniose excogitata, tamen videtur non vera. Quod recte et vidit et indicavit *Westermannus,* qui omnem Handii dubitationem contrariis argumentis facillime refutari atque everti posse existimavit. Nam quum huic persuasum esset, Ciceronem non jam puerum, sed adolescentem viginti quinque annorum et ad altiora studia incumbentem, libellum publici juris factum nullo modo compilare voluisse, atque incredibile videretur, inchoati operis auctoritatem tantam fuisse, ut ea Rhetorica, e quibus fluxisset, obscurata latuissent Quintilianum [2]), Westermannus animadvertendam censuit privam propriamque rationem, qua Cicero alienis inventis uti atque optima quaeque e praestantissimis fontibus delibare soleret. Praeterea interpolationis suspicionem movit, negavitque eam Ciceronis Rhetoricorum celebritatem fuisse, ut penitus obscurassent incerti auctoris libros, illiusque meritis nocuissent [3]). Bernhardii vero sententia minus etiam probari potest. Etenim provectior doctoris

---

von dem willkürlichen Benutzen einer dritten Quelle abgehangen, und die Aeusserung ad Her. IV. 7. von der noch ungewöhnlichen lateinischen Bezeichnung der Figuren hebe keineswegs die Voraussetzung irgend eines lateinischen Lehrbuchs auf. — Encycl. Ersch. t. XVII. p. 208.

[1]) *Der Auctor ad Herennium, aus der Sullanischen Zeit, ungewiss, ob Cornificius oder ein gleich unberühmter Auctor aus der Schule Gnipho's, dessen Mitschüler Cicero seine Jugendschrift nach derselben Methode behandelte.* — Grundr. d. Röm. Liter. p. 306.

[2]) Encycl. l. l.

[3]) Op. l. p. 188. not. 24.

Herenniani aetas, comparata cum juvenili Ciceronis, condiscipulatum minime admittit.

Itaque difficultate hac nondum penitus sublata, verbo de utroque opere monendum videtur. Non omnis omnino Ciceronis Rhetoricis deest praecipiendi jejunitas, sed multo sunt Herennianis elegantiora ac puriora, quippe remota a jejuna et arida praecipiendi ratione, quae illis est propria. Majore doctrinae copia nitent, ac severiore judicio, subtiliore delectu, pulcrique sensu acriore conscripta sunt [1]). Auctorem referunt non sola Stoicorum dialectica contentum, sed ita tinctum Graecorum philosophorum in hac arte studiis, ut iis rhetores, qui de ea commentati essent, praesertim Hermagoram, postponat [2]), neque vero philosophis semper fidem habeat, sed ab eorum doctrina discedat, ubi improbanda videatur [3]). Reddit tamen causas, nec quidquam temere aut leviter statuit [4]). His potissimum laudibus Herennianum opus destitutum est, cujus auctor rhetorum praeceptis institutus et usus, suam quidem subinde sententiam interponit et disciplinam inducit a Graecorum ratione diversam [5]), verum praeter scholae subsidia alios gravioresque fontes vel incognitos habuit vel intactos praetermisit. Hinc tum in librorum forma ac ratione, tum praecipue in praeceptorum atque argumentorum expositione magnum inter utrumque auctorem discrimen animadvertitur. Quoad enim

---

1) *Cicero selbst legte dieser Schrift wenig Werth bei, doch bezeugt sie schon dessen Geschicklichkeit, das Formelle und Trockene der Rhetorik in einer freieren und geistreichen Darstellung zu behandeln.* Handius in Encyc. I. p. 209.

2) Vid. v. c. I. 6. 7.

3) II. 52.

4) I. 10.

5) III. 23. IV. init.

artis angustiae patiuntur, in Cicerone magna rerum varietas, comta et copiosa oratio, in Herenniano vero doctore inornata et subinde languida dictio, diversorum fontium penuria, scholastica rerum pertractatio. Ciceronis majora petituri ac jam scholae umbram fugientis vestigia exstant: Herennianus vero assiduus ac perdiligens dicendi praeceptor cognoscitur. Cicero denique dat operam, ut artem illustret, occultet artificium, praeceptionem suam ab eloquentiae commendatione ejusque naturae pervestigatione orditur, ipsamque rhetoricam artem civilis rationis partem habet; Herennianus vero, etsi affirmet, parvam partem vitae perfectissimae desiderari, si quis in dicendo, quo velit, non perveniat, tamen in arte exponenda sic versatur, ut artificii praecipuam rationem habeat [1]).

Ex hac discriminis notatione in eam opinionem inductus sum, ut existimem, Ciceronem postquam satis diu, duce Aelio, oratoriis exercitationibus operam dedisset, et praeceptionem rhetoricam, discipulis ab Aelio dictatam, sensim comparasset, Moloni Rhodio aliisque magistris se applicuisse, ut uberiorem artium ingenuarum philosophiaeque cognitionem perciperet. In quibus studiis quum noctes atque dies totus versaretur, factum esse ut Quintum fratrem, quem, ceterarum artium excolendarum socium, alieniorem a dicendi arte vidisset, adhortatione sua elo-

---

[1]) *Dieses Werk (ad Herenn.) ist das einzige Monument der obigen Rhetorik, in trockner, gerippartiger Ausführung, nach griechischem Zuschnitt, und mit nothdürftiger Kenntniss der älteren lateinischen Literatur, aus dessen Geist die Meisterschaft des vorgegebenen Ant. Gnipho nicht hervorleuchtet.* Bernhardy Op. l. p. 23. Historicum sane pretium minime huic operi negandum est, locosque item ex eo haud immerito laudavit Westermann Op. l. §. 56. p. 134.

quentiae studeret conciliare [1]. Itaque scripturus de rhetorica, omnem debebat de illius artis utilitate ac praestantia dubitationem tollere, ut ea penitus sublata praeceptionem institueret, quam e Socraticorum [2], Aristotelis [3], Hermagorae ceterorumque [4] fontibus, commentatus esset. His tamen scriptis, quam maxime variis, ita ad componenda Rhetorica sua usus erat, ut aliquo loco ac momento Aelianam institutionem haberet, atque ex ea, quidquid commode gravioribusque artis scriptoribus congrue explanatum esset, mutuaretur, inprimis exemplorum copiam, quibus ille uti consuesset, maximam partem in scripta sua transferret. Veruntamen omni in re servavit sibi eligendi potestatem, nemini temere assentiens, si quid ipse sibi rectius videretur expositurus.

Haec quum edendi consilio a Cicerone Quinti fratris gratiâ pararentur, contigisse suspicor, ut Aelius, quem latebat adhuc disciPuli propositum, crebris Herennii precibus atque exhortationibus impulsus, in animum induceret, intermissis paulisper philosophiae studiis, de arte rhetorica perscribere. Quam ob causam collegit ea et in artis formam redegit, quae cum discipulis solebat communicare. Potuit autem suscepti operis magnitudinem queri, quippe primus rhetoricam institutionem publici juris

---

1) Vid. Dissert. nost. de Cicerone φιλοπλάτωνι p. 147.
2) I. 31. 35.
3) II. 2. *Aristoteles quidem ipse et sese ipsum nobis, et eos qui ante se fuerant, in medio posuit, ut et ceteros et se ipsum per se cognosceremus.* Patet hinc jam eo tempore Romae innotuisse Aristotelis Rhetorica, et a Cicerone perlecta esse. Neque vero credibile, eum ex Apelliconis bibliotheca, quam vixdum Sulla Athenis Romam arcessiverat, Aristotelea haec primum cognovisse. Cff. quos Dissert. nost. p. 95. in annot. laudavimus.
4) I. 6. 10. 11. II. 2.

faciens, neque, ad cujus exemplum se conformaret, Latinum scriptorem habens. Quatuor libris universam artem comprehendit, quos tamen non continuo omnes edidit, sed interjecto tempore absolvit [1]), nec nisi singulos deinceps, familiaribus negotiis districtus, misit in lucem. Iccirco prodierunt duo vel tres primi, quo tempore Cicero utrumque suum de Inventione edebat. Arbitror autem, hac Aeliani operis editione, quae maxime inexspectata accidit, Ciceronem recusasse, quo minus pertexeret atque absolveret rhetorica sua, quorum edita pars tam manifesta Aelianae disciplinae vestigia tantamque cum Aelianis recens editis libris similitudinem proderet. Aelius vero inchoatam rem ad finem perduxit atque Herennii voluntati plenissime satisfecit.

Probabilitatem in his secuti, nihil temere posuimus, facillimeque, opinor, singula, quae difficultate premebantur, explicabuntur. Namque intelligitur jam sponte, quo jure Aelius in nonnullis inventionis sibi laudem tribuerit [2]), Cicero vero inventis Aelii, nondum in lucem productis, e disciplina usus, inventionis gloriam sibi non arrogaverit, quod aliena esset, neque vero acceptam Aelio retulerit [3]), quod inventa ejus scriptis consignata nondum vidisset. Intelligitur etiam, unde mirus ille utriusque auctoris consensus exstiterit, qui non fortuitus esse potuit, sed necessarius esse debuit. Intelligitur tandem, qui factum sit, ut Aelius, scribere Rhetorica instituens, nonnulla plenius diligentiusque exposuerit, quae minus dilucide antea discipulis tradidisset, utque eadem illa

---

[1]) Haec intermissio operis patet singulorum librorum principio ac fine.
[2]) I. 6. 9. IV. 7.
[3]) I. 15. 17. Cf. Schutz. Prooem. p. 54. Westerm. l. l. p. 192 (23).

Ciceroni, pristinam Aelii disciplinam in scribendo secuto, brevius imperfectiusque exciderint [1]).

His, quoad potuimus, expeditis, accedimus ad postremam quaestionem, quae plurimum videatur difficultatis habere. Quaeritur enim, quidni auctorem Rhetoricorum ad Herennium diserte Quintilianus nominaverit.

Saepius Quintilianus Rhetorica Ciceronis memorat. Nostra autem maxime refert ipsius de illo opere judicium. *Sunt,* ait, *velut regestae in hos commentarios, quos adolescens deduxerat, scholae; et si qua est in his culpa, tradentis est* [2]). Hinc manifestum est, quid universe de iis existimaverit Quintilianus. Memorat alio loco *commentarios puerorum, in quos ea, quae aliis declamantibus laudata sunt, regerunt* [3]). Itaque Rhetorica Ciceronis videtur in commentariorum numero posuisse, qui non multum auctoritatis haberent, quippe puerilis disciplinae fructus, non maturioris judicii proles. Quod autem *scholas* memorat, satis inde evidenter patet, non scriptos editosque libros eum intellexisse, sed *inauditiunculas,* ut Gellius appellat, disciplinae rhetoricae [4]). Probanda igitur haec sententiae interpretatio: hi libri

---

1) Cf. Hand. Encycl. l. l.

2) Inst. Or. III. 6. Probavimus Spaldingii emendationem, legentis *quos* pro vulgari *quas.* Cf. Burmann. Monendum autem, satis impeditam Quintiliani loci rationem videri, quae fortasse transpositione corrigitur. Turbatum sententiarum ordinem sic conjeci restituendum, ut post verba, quae e primo Ciceronis Rhetorico referuntur, legatur: *sive eum movit, quod Hermagoras — juris interpretes. Sed quod ipsius — tradentis est. Sed Cicero —.* Puto enim Quintilianum, memorato Ciceronis loco, reddere causam voluisse, cur negotialis loci Cicero aliam interpretationem quaesivisset.

3) II. 11.

4) V. 21. Becichemus *exceptiones scholasticas* vocat.

nihil aliud sunt, nisi scholae h. e. disputationes rhetoris, in commentarios, quos adolescens contexuit Cicero, relatae [1]). Addit denique: *et si qua est in his culpa, tradentis est.* Haec, quo respiciant, dubium videatur. Cornificium quidem significari *tradentis* nomine putant, qui Quintiliano persuasum fuisse statuunt, illum Rhetorica ad Herennium scripsisse [2]). Quorum sententiae non accedimus propterea, quod nullo loco Quintilianus integra Rhetorica a Cornificio elaborata esse tradit, sed eum non pauca scripsisse de arte testatur [3]). Disertius idem sententiam aperit, quum Cornificium in eorum numero censet, qui disciplinam de figuris non ut partem operis transcurrerint, sed proprie huic operi libros dedicarint [4]). Ergo probabile est, Quintilianum, ubi in loco de figuris versabatur, maluisse laudare singulares de eo loco libros, quam universae artis scriptores [5]). Neque tamen putandum, quae Quintilianus a Cornificio repetat, ea iccirco hujus propria inventa existimari debere. Nusquam enim inventionis laudem Cornificio impertit, sed ejus sententiam simpliciter refert [6]). Quare nihil falsi inest Herennianis verbis, quibus affirmat, se primum convertisse nomina rerum Graeca, ac vereri, ne quoniam a consuetudine latina remota sint, asperiora videantur [7]). Exempla autem quod multa utrique communia videamus, non mirum esse debet, si quidem mos erat rhetorum, quaecunque

---

[1]) Spaldingii est ad Quint. l. l. vid. Burmannus l. l.
[2]) Cf. Disp. n. p. 10.
[3]) III. 1.
[4]) IX. 3. Cf. Burm. ap. Schutz. Prooem. l. p. 18.
[5]) Vid. Westerm. Op. l. p. 191. not. 11. cf. not. 10. ubi perperam censet e locis Quintilianeis probari, huic auctori cognitum opus fuisse. Hoc teneo, illud nego.
[6]) V. 10. IX. 2. 3.
[7]) IV. 7.

exempla scite ab aliis electa suisque locis subjecta essent, ea servare [1]. Quare vix adducor, ut assentiar iis, qui Cornificio auctori Quintilianum Rhetorica ad Herennium vindicasse censeant.

Restat igitur, ut quis fuerit Quintiliano, qui *scholas tradiderit* Ciceroni, conjiciamus. Namque ignorasse eum Rhetoris nomen, indeque silentium repetendum esse, vix credibile est. Considerantibus autem, a Quintiliano neque operis Herenniani mentionem factam, neque auctoris nomen memoratum esse [2], verisimillimum videtur statuere, omnem ei de illorum librorum fatis historiam bene cognitam fuisse, nec latuisse eum verum auctorem Aelium Stilonem, Ciceronis dicendi praeceptorem. Quum vero unum maxime Ciceronem admiraretur, noluisse hunc plagii reum facere, in cujus culpam imprudens incidisset. Hinc explicandum videtur, quare commemorandis Herennianis libris, quamvis in consimili argumento saepius versatus, abstinuerit. Verebatur enim, ne ipsa commemoratio faceret, ut quod ad Ciceronis memoriam minus honorificum accidere posset, vulgaretur.

Simplicissime, ut opinor, spero item vere, hanc duplicem de Ciceronis Rhetoricis et Quintilianeo de libris Herennianis silentio quaestionem solvimus. Neque, his constitutis, dubium amplius erit, ad quem circiter annum

---

[1]) Hinc subinde Quint. exempla usurpat, quae in libris ad Herennium reperiuntur. V. c. IX. 3. *Qui sunt, qui foedera saepe ruperunt? Carthaginienses* rell. Auct. ad Her. IV. 14. — Quint. Ibid. *Amari jucundum est, si curetur ne quid insit amari.* Auct. IV. 14. 21.

[2]) Nescio, quid nobis canat Hier. Capidurus ad Herenn. I. 12. *Ex translatione controversia nascitur.* „Sed quale judicium de his libris Ciceronis habuerit, supra retulimus: a Quinto fratre *submissitios* dixit appellari.“ Nusquam id apud Quintilianum invenitur.

utrumque opus rhetoricum referri oporteat. Mire, ut vidimus, dissenserunt eruditi, quippe in divinando Herenniano doctore in varias historiae Romanae aetates involantes, nec satis curae in comparandis rebus consulendaque latinitate ponentes. Feliciores fuere praeter Burmannum [1]), Purgoldus et Schutzius. Ille libros ad Herennium A. U. 666 compositos arbitratur, Rhetorica vero Ciceronis paucis annis post exiisse, nempe intra 670 et 672 [2]). Hic vero quum de Ciceronis Rhetoricis cum Purgoldo consentiat, paulum differt de operis Herenniani aetate, quam ad A. U. 668 in tabula refert [3]). Attamen docet, obscure ac tecte sibi Sullam tangi visum esse IV. 54, polliceturque de eo loco se paulo post acturum [4]). Fidem non praestitit vir doctissimus. Monente autem Wetzelio [5]), illa verba cogitavit: *Proficiscitur in Asiam, deinde exsul et hostis est dictus, post imperator, postremo Consul.* Sed erravit, ut videtur, Schutzius, hoc loco Sullae fortunam significari putans. Licet enim in ceteris quae memorantur similitudo sit, tamen exsulem a Marianis Sullam esse judicatum, ex historia probari posse inficiamur. Itaque nihil inde ad constituendam aetatem horum librorum lucis petendum est; vereor autem, ut aliunde, quoniam obscurior est rerum gestarum memoria. Patet vero e Ciceronis rhetoricis, Philonis discipulum ea

---

1) Prooem. p. 45. Schutz. cf. p. 20. Falsterus Rhett. ad Her. ante aetatem Augusti scriptos non fuisse existimat, et vindicat recentiori cuidam scriptori. Vidd. ejus Amoenitt. Philol. III. p. 286.
2) Obss. Crit. I. p. 304. sqq.
3) Prooem. l. p. 47. 54. 62.
4) Ibid. p. 48.
5) Rhett. Minn. II. p. 167.

scripsisse[1]). De his igitur affirmare licet, conscripta esse post A. U. 666, in quem ipsum annum extremus eventus, qui Herenniano memoratur[2]), P. Sulpicii caedes, incidit. Quocirca non longe a vero aberrabimus, si utriusque operis confectionem ad A. U. 670 (a. Chr. 84) rejiciamus[3]).

---

1) Cf. Diss. nost. de Cic. φιλοπλάτωνι p. 150.
2) I. 15. IV. 22.
3) Vidd. Fabricius Cic. Hist. A. U. 666. Orell. Memorab. Vitae Cic. A. U. 668.

COLONIAE AD RHENUM,
TYPIS M. DUMONT-SCHAUBERG.